DE CONCURSU DIVINO

SCHOLASTICI QUID SENSERINT

PHILOSOPHICAM DISPUTATIONEM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

Carolus URBAIN

LICENTIATUS

ET ALTIORUM STUDIORUM SCHOLÆ OLIM AUDITOR AGGREGATUS

PARISIIS

APUD E. THORIN ET FILIUM, BIBLIOPOLAS

VIA VULGO DICTA LE GOFF, 4

—

1894

DE CONCURSU DIVINO

SCHOLASTICI QUID SENSERINT

DE CONCURSU DIVINO

SCHOLASTICI QUID SENSERINT

PHILOSOPHICAM DISPUTATIONEM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

CAROLUS URBAIN

LICENTIATUS

ET ALTIORUM STUDIORUM SCHOLÆ OLIM AUDITOR AGGREGATUS

PARISIIS

APUD E. THORIN ET FILIUM, BIBLIOPOLAS

VIA VULGO DICTA LE GOFF, 4

1894

EMINENTISSIMO

ERNESTO CARDINALI BOURRET

IN ACADEMIA PARISIENSI

LITTERARUM DOCTORI

JURISQUE ECCLESIASTICI QUONDAM PROFESSORI

EPISCOPO RUTHENENSI ET VABRENSI

PROPTER DOCTRINÆ VIRTUTUMQUE MERITA

PONTIFICALI INFULA

ET ROMANA DEMUM PURPURA

DECORATO

D. D.

Utrum et quatenus res creatas Deus in agendo adjuvet, philosophis olim inquirere solemne erat. Mos tamen ille, nescio quo pacto, jam a pluribus annis apud nos ita obsolevit, ut, si clericos excipias, Gallis vox ipsa *concursus divini* usu paene exciderit. Quod quidem sine gravi quodam philosophiae detrimento accidere non potuit. Praetermissa enim ista de Dei auxilio quaestione, vix ulla potest institui de causis efficientibus doctrina ; quae tamen tanti momenti est, ut ex ea tota philosophia pendere videatur, et ea non prius constituta aut illustrata philosophari, nihil aliud sit quam nullo vel dilabente fundamento domum exstruere.

Nisi enim prius compertum habuerit utrum res creatae propria virtute agere valeant, et quibus conditionibus vires suas exserant exploraverit, quis jure hominem libero arbitrio ornatum affirmet, aut ad eorum confutanda dogmata se accingat, qui nihil nisi divinum in mundo esse arbitrantur? quin imo quis in hac rerum universitate unam existere pronuntiet, quae sit substantia in se constans ?

Pretium igitur operae facturus mihi videor, si legentium animos in hunc divinum concursum aliquantisper convertero. Non quod rem totam, viribus

meis certe majorem, ex me ipso expedire instituerim. Satius esse duxi inquirere quid de ea senserint praecipui inter Scholasticos philosophi, et postquam eorum sententias recensuerim, in ea praesertim illustranda immorari, quae propius ad verum visa fuerit accedere.

Quo pateant clarius quae nobis posthac sunt disserenda, de notione causae et actionis tunc temporis in scholis tradita, pauca praemittemus.

NOTIONES PRÆVIÆ

DE ACTIONE ET AGENTIBUS

I. — Non promiscue in Schola usurpata sunt *actus* et *actio*. Actus quidem est quo aliquid reapse existit vel determinatur aut perficitur; idem enim est ac *forma*, et *potentiae* opponebatur (1). *Actio* autem idem sonat quod operatio, ut intellectio et illuminatio. Quia vero « prius est esse quam operari », actus quo res est, et hujus actio aliquando dicuntur *actus primus* et *actus secundus* : « *Actus primus est qui dat esse et speciem et rationem ei cujus est actus; actus vero secundus non est principium virtutis, sed ipsa operatio* (2) ».

Res creatas quaecumque existant aliquo modo operari Scholastici fere omnes pro certo habebant (3), et iis adversabantur philosophis qui inter Arabes docebant naturas omnes agendi virtute prorsus destitutas, nec quidquam rebus creatis supervenire quod a Deo tanquam unica causa non fieret. Quae quidem

(1) « Dicitur quod anima est actus corporis, quia per animam est corpus. » (S. THOM., 1, q. 76, art. 4, ad 1.)

(2) ALBERT. M., *de Homine*, tr. I, q. IV, a. 2.

(3) « Inconveniens est ponere aliquam substantiam otiosam seu omni operatione destitutam. » (DURANDUS, *in Sententias*, Lugdun., 1622, in-fol., p. 296).

sententia omnino consonat cum ea quae recentius apud nos evulgata, *de causis occasionalibus* doctrina dicta est. Aiebant enim ut Malebranchius noster, ita *Motecallemin* (sic apud Arabes vocabantur) ignem minime calefacere, sed Deum ipsum praesente igne calorem rei admotae infundere (1).

Nec mitiori Avicebronis (apud suos *Ibn Gebirol*) placito assentiebant Scholastici, qui nullum quidem corpus actuosum arbitrabatur, sed tamen inter spiritales naturas esse unam cujus virtus omnia corpora permeans actiones operetur quae per ipsa fieri videantur.

Quin imo nec Scholae doctoribus satisfiebat Avicennae doctrina, qua corporales quidem naturas esse actuosas constat, quarum virtute pleraque efficiantur accidentia quae substantiis jam constitutis superveniant, nullum tamen esse corpus, ne mente quidem animatum, quo quaedam etiam infimi gradus substantia produci valeat; substantias enim novas nonnisi a Deo vel a spiritibus, ut aiunt, separatis, scilicet ab angelis fieri.

Scholastici autem res creatas agentes, etiam corporeas, propria virtute non tantum nova accidentia in praejacente substantia, sed etiam novas et veri quidem nominis substantias gignere posse contendebant. Quam doctrinam minus forsan miraberis si volueris attendere, eos licet iisdem ac recentiores verbis substantiam definierint *(« aliquid* scilicet *in se subsistens neque ullo subjecto indigens cui inhaereat »)*, longe aliam tamen ejus notionem ac nos ipsi solemus,

(1) S. Thom., *Contra gentes*, l. III, cap. 69.

sibi praeformasse. Omnes enim, ut de rebus corporeis tantum sermonem hic habeamus, hodie profitemur molem quamlibet sensibus subjectam non unam esse substantiam, sed ex substantiis inter se distinctis et numero paene infinitis concretam esse, neque ullum corpus dici nisi improprio nomine substantiam, substantias vero non existere quae non sint simplices et individuae, sive monades, sive atomi dicantur.

Praeterea substantias, cum simplices sint nec partibus constent, prorsus in se immutabiles credimus, nec posse nisi per creationem oriri, aut nisi ad nihilum redigantur interire. Inde colligitur mutationes quaecumque corporibus accidant ne unam quidem substantiam producere aut destruere, sed tantum efficere ut quas vere et proprie dicimus substantias, monades scilicet aut atomi ex quibus corpora conflantur, alia ratione atque antea se habeant et inter se colligentur aut connectantur.

Ut exemplo res illustretur, cum aqua in vaporem conversa est, non dicimus priorem substantiam abiisse, in cujus locum altera substantia successerit, sed easdem quibus constaret aqua remanere monades seu atomos, quae prius inter se copulatae quasdam aut actiones operarentur aut qualitates exhiberent, postea, aeris specie induta, altero modo se habere, et laxato quasi vinculo alias ab aliis recedere novasque qualitates et virtutes expromere.

Peripatetici autem dicebant, conversione facta, aquam prorsus desiisse, substantiamque omnino aliam esse exortam. Arbitrabantur enim corporeas substantias in se invicem transmutari, propterea quod, minime simplices, ut recentioribus videtur,

duobus principiis, *materia* scilicet et *forma substantiali,* constent (1), quae non modo rationis artificio, sed reapse inter se distincta sint.

Materia quidem, seu *materia prima,* ut peripateticis nostris placet, nihil aliud est quam res quaedam vaga et in se indistincta et indefinita quae corporibus omnibus subsit, et ex qua omnia oriantur. Hujusmodi materia, omni prorsus figura aut qualitate destituta, per se nihil est nisi mera potentia, neque ullam habet speciem, sed, forma aliunde accepta, naturam constituit quae ad certam speciem pertineat ; formisque in ea sibi succedentibus, corpora quidem invicem transmutantur, ipsa vero eadem permanet et incommutabilis.

Communi autem vocabulo *formae* seu *actus* appellantur omnia quibus ens determinatur. Una porro forma est in qua ultimo radicantur proprietates ex quibus corpus intra hanc vel illam speciem contineri dignoscitur. Ex hac igitur forma corpus habet ut sit *haec* substantia, a ceteris omnibus distincta, imo vero ut sit quaedam substantia ; quare forma ista dicitur vel *forma simpliciter,* quasi κατ'ἐξοχήν, vel *forma substantialis,* non quod sit ipsa substantia, sed quod per eam substantia constituitur et existit. Id efficit forma substantialis, v. g. ut moles quaedam marmoris et existat et sit substantia, imo ut sit marmorea et qui-

(1) In Scholasticorum doctrina, distinguendum est inter simplicem et compositam substantiam. Simplex quidem substantia ea est quae *materia* et *forma* non constat, ut angelus ; composita autem non pluribus substantiis individuis, ut existimant recentiores, sed duobus principiis, *materia* et *forma* constat, ex quibus, etiam non subsistentibus, datur una substantia per se subsistens.

dem a ceteris omnibus ejusdem generis lapidibus distincta (1).

At non tantum suppetunt corpori proprietates quibus species constituitur, quibus scilicet deficientibus, vel propriam speciem amitteret, vel etiam omnino interiret; sunt et aliae qualitates, quibus ablatis, in eadem tamem specie remanebit, quae propterea *accidentales* vocantur. Cerea moles, e. gr. sive in cubum sive in cylindrum aut in globum configuretur, item sive calore liquescat aut rursus frigore concrescat et induretur, nihilominus cerea permanebit. Ab accidentali igitur forma habet unde sit cubica vel cylindrata aut globosa, itemque unde liquida vel solida appareat.

His ita excogitatis, Scholastici credebant causas secundas posse agendo formas rebus imprimere non tantum accidentales, quibus mutatio in substantia eadem remanente superveniat, sed etiam substantiales, unde nova ex praejacente materia substantia exoriatur;

(1) Unam tantum cuilibet corpori inesse formam substantialem excogitabant, sive ex singulo elemento (quod nos potius *corpus simplex* dicimus) constet, sive ex pluribus naturis sit concretum. Nos quidem cum ex duobus vel tribus corporibus in unum fit commixtio, recentiorum physicorum experimentis docemur, proprietatibus quibusdam corpus mixtum instrui quae in elementis seorsum existentibus minime apparerent, elementi vero cujusque substantiam omnino eamdem in mixto permanere; quare si mixtum resolvatur, eadem numero et pondere reperiuntur elementa quibus temperatum coaluerat. Verum peripateticis nostris non ita placuit, sed elementa ipsa in mixto non permanere et ex pluribus eorum substantiis unam et omnino novam novisque qualitatibus et virtutibus ornatam subtantiam exsurgere professi sunt. Si, e. g., justa proportione hydrogenium cum oxygenio ad efficiendam aquam temperaveris, ex D. Thomae doctrina, mixtione semel perfecta, nec oxygenium nec hydrogenium jam in aqua supererit; sed substantia una et simplici forma substantiali constituta, in eorum locum substituetur.

substantias enim, non *creatione* modo, sed etiam *generatione* fieri, rursusque non *annihilatione* tantum, sed etiam *corruptione* aboleri posse intelligebant (1).

II. — Plerique Scholastici, ut qui sensuum potius quam conscientiae testimonium philosophantes adhiberent, actionem a causa quidem efficiente produci, non vero intra ipsam fieri existimaverunt. Longe enim alia ratione procedebant ac recentiores, qui ad causarum doctrinam illustrandam, a mentis notitia exordiendum putant, propterea quod una sit causa quam nullo interposito medio apprehendere valeamus. Illi autem iis mutationibus observandis quae rebus externis accidunt magis intenti (quas tamen, deficientibus instrumentis ad accuratam investigationem satis idoneis, non nisi imperfecte noverant), earum causas immutari non animadverterant. Ignis enim, v. g. admotam aquam calefaciens ipsis idem permanere videbatur; unde inferebant actionem, scilicet *calefactionem*, non esse in igne, sed in aqua, non in causa agente quae omnino eadem constaret, sed in re immutata seu in *patiente* (2). Hoc etiam ipsis erat argumento quod Deus agit nec tamen ullam mutationem patitur; ita, aiebant, nihil est cur agentia creata ex actione mutari dicantur. Unde vulgata

(1) *Creationem* dicebant esse rei ex nihilo productionem, *generationem* vero, eductionem rei ex antecedente materia. Ex re ad nihilum redacta, nihil omnino remanere; contra rei corruptae materiam superesse alia substantiali forma indutam existimabant.

(2) « Negamus causalitatem agentis debere aut posse esse modum intrinsecum ipsius agentis, distinctum ab actione quae ab agente manat et est in termino ipso vel in passo. Quod in naturalibus agentibus videtur manifestum, quia illa non mutantur neque aliquid acquirunt ex eo quod agant. » (SUAREZ., *Metaphys.*, ed. Vivès, t. I., p. 682.)

haec effata : *Actio non est in agente sed in passo ;* aut etiam : *Actio est realiter ipse motus* (1).

Si res ita se habeant, quodnam inter effectum et actionem sit discrimen non video (2) ; at Scholastici argutius effectum ab actione discrepare affirmabant, quatenus v. g. actio sit calefactio qua ignis aquam calefacit, effectus vero calor quem in aquam ignis inducit (3).

Rursus actionem nonnisi vi quadam extrinsecus admota fieri intelligebant, nec suspicabantur rem posse existere aliquam cui seipsam movendi seu immutandi inesset facultas. Hoc enim apud ipsos erat receptum : « *Omne motum ab alio movetur.* » Quo quidem nixus fundamento D. Thomas, Aristotelem secutus, argumen-

(1) Hoc *motus* verbo, non id solum intelligendum est quo aliquid ex alio loco ad alium transit, sed etiam *mutatio* quaelibet. — « Movere nihil aliud est quam educere aliquid de potentia in actum ». (S. Thom., 1. q. 2, art. 3.)

(2) Saepe confessi sunt Scholastici actionem et passionem esse unum et idem : « Actio et passio non sunt duo motus, sed unus et idem motus, agentis quidem secundum quod est ab eo, patientis autem secundum quod est in ipso. » (S. Thom., *in* III *Physic.*, l. 3) ; et *Sum. th.*, 1, q. 28, a. 2, ad 1; cf. Durand., p. 545).

(3) Notandum tamen est Scotum discipulosque ejus actionem in agente sitam et a passione distinctam voluisse, at eam non quasi aliquid absoluti aut quasi quoddam virtutis exercitium intelligebant, sed potius ut relationem seu respectum ad passum. « Actio, dicebat Scotus, est respectus extrinsecus adveniens transmutantis ad transmutatum. » (*In 4 Sent.*, d. 13, q. 1, et *In 2*, d. 1.)

Ockamius quoque et nominales post eum, actionem esse in agente contenderunt ; sed longius quam Scotus progressi, negaverunt eam esse accidens quoddam substantiæ superveniens, quo nudari possit, dixeruntque eam ita esse substantiae propriam, ut a se invicem distingui nisi mentis figmento, non valeant. (*In 2 Sent.*, q. 20.)

tatur ut Deum existere ostendat, qui sit primum movens immotum (1).

Quaedam animadvertebant in rerum universitate interno principio mota, quae optimo jure viventia dicebant. Attamen plantas et animalia ita vivere intelligebant, ut in ipsis quidem, non vero proprie ex ipsorum substantia vitales exerceantur operationes. In animali quidem inesse aliquod internum movendi principium, sed quodammodo ab ipso distinctum arbitrabantur, animam scilicet, qua corpus moveatur, dum ipsa rebus externis, mediante sensu seu facultate sensitiva, afficiatur (2).

Anima enim quasi duplici munere fungi videbatur, scilicet *formae* et *motoris*. Prout formae vices agit, anima ita est cum corpore conjuncta, ut ex iis constet una substantia (3). In animali enim una est forma substantialis, per quam corpus simul sentit, nutritur, imo corpus est (4) ; quare adest tota simul in toto corpore et tota in singulis ejus partibus.

Prout vero corpori movendo anima est accommodata, videtur ab ipso distincta, nec jam per totum corpus

(1) *Sum. th.*, 1, q. 2, art. 3 ; cf. ARIST., *Phys.*, VIII, 5.

(2) Cf. S. THOMAS, 1, q. 75, a. 3, ad 3; *Cont. Gent.*, l. 2, c. 82.

(3) « Non corpus et anima sunt duae substantiae actu existentes sed ex eis duobus fit una substantia actu existens » (S. THOMAS, *Cont. Gent.*, l. 2, cap. 69 ; cf. *de Ente et essentia*, c. 3; et *in 2 Sent.*, d. 18, art. 1.)

(4) Ita etiam de homine sentiebant : « Sic ergo dicimus quod in hoc homine non est alia forma substantialis quam anima rationalis, et quod per eam homo non solum est homo, sed animal et vivum et corpus, et substantia et ens. » (S. THOMAS, *de Spirit. creat.*, art 3 ; cf. *Sum. th.*, 1, q. 76, art 6, ad 1).

diffusa, sed in corde tantum sedens, quo tanquam instrumento utitur ut singula membra moveat. (1).

Qua quidem excogitata distinctione, confidebant recte fieri posse ut animal tanquam una haberetur substantia interiore quidem motus principio agitata, nec tamen inde sequi hujusmodi substantiam rem esse per se motam, propterea quod in ipsa duae res distinguerentur, quarum neutra moveat alteram nisi aliunde mota. Quare tenebant animalia non secus ac corpora vitae expertia hac eadem lege moveri : *Nulla res seipsam movet nisi mota* (2).

Nec D. Thomae obstare videbantur eae actiones quas *immanentes* dicebant, ut sunt intellectio aut volitio. Hujusmodi autem actiones dum fiunt, videtur nobis mentem eas operantem per seipsam moveri, easque in ipsa fieri ; quod quidem nobis argumento est ut credamus rem esse aliquam quae seipsam moveat, actionesque in ipso agente fieri. Thomistis vero non ita placebat, quia animam non per se neque in se immediate agere, sed per potentias seu facultates tum ab ea, tum inter se invicem distinctas operari volebant, quarum una actionem immanentem in alia efficiat; ut cum volumus, actio, id est volitio, in voluntate quidem, sed bono externo ipsi ab intellectu proposito fiat.

Quod ut recte intelligatur, notandum est Scholasticos

(1) « Cor est primum instrumentum per quod anima movet ceteras partes corporis, et ideo eo mediante unitur anima reliquis partibus ut motor, licet ut forma uniatur unicuique parti corporis per se et immediate. » (S. THOMAS, *de Anima*, art. 9, ad 13; cf. *de Spir. creat.*, art. 4, ad 8 ; *Cont. Gent.*, l. 2, c. 71 et 72.)

(2) S. THOMAS, *de Potentia*, q. 3.

plerosque de natura animae a D. Augustini doctrina recessisse, qui (*de Trinit.*, IX, 4 ; X, 11) demonstrat intellectum et voluntatem esse ipsam animam nec tantum ejus accidentia. Thomistae vero inter animam ejusque facultates distinctionem, ut aiunt, *realem* ponebant, qua scilicet discrepant ea quae, etiam nemine cogitante, non sunt una et eadem res.

Hujusmodi distinctionem inter agens et subjectum in quod terminetur actio nunquam non requiri intelligebant. Idem, aiebant, cum non possit esse simul in actu et in potentia, non potest simul movere et moveri, nec proinde se ipsum movere aut in se ipsum agere. Quapropter negabant animam posse essentiam suam immediate percipere.

Scotistae vero inter animam facultatesque ejus nullam nisi *formalem* intercedere distinctionem dicebant, eam scilicet qua discriminantur plura quae ejus sunt naturae ut, licet in se realiter non distinguantur, diversas tamen, etiam seclusa mentis operatione, definitiones exigant; cujusmodi sunt animalitas et rationalitas in homine (1).

Item volebant fieri posse ut eadem res sit simul in actu et in potentia, licet non sub eodem respectu, et proinde in seipsam sicut in aliud agat. Ideo inter agens et passum, realem distinctionem tantummodo requiri putabant ut producatur actio *univoca*, seu qua effectus agenti specie similis producitur, cum v. g. calidum corpus calorem inducit. De actione autem *aequivoca* aliter sentiebant : cum aquam calefactam, remoto

(1) Ockamius ejusque asseclae nec *realiter*, nec *formaliter*, sed *ratione* tantum animam a suis potentiis distinctam volebant.

igne, ad pristinum frigus redeuntem viderent, persuasum habebant eam in se ipsa frigus efficere, sibique ipsi formam alius generis inducere. Inde inferebant posse aliquid a se ipso moveri, seu in se ipsum agere (1).

III. — De principio actionis pauca nobis subjicienda sunt. Scholastici consentiebant ut docerent operationem nec a forma substantiali nec a materia seorsum fieri, sed a substantia tota, quae ex materia formaque constet; substantiam vero ipsam non operari nisi ratione formae, quae propterea sit operationis principium. « *Agere non est nisi rei subsistentis, et ideo neque materia agit neque forma sed compositum ; quod tamen non agit ratione materiae sed ratione formae, quae est actus et actionis principium* (2). »

Alia de causa principium operationis dicebant formam substantialem, quod per eam ens determinetur : « *Illud quod est tantum in potentia, non agit, quia se habet indeterminate ad multa, sed forma, quae est terminans potentiam materiae, principium actionis dicitur* (3). »

Imo per formam volebant determinari non tantum entis naturam, sed etiam qualitatem et finem opera-

(1) « Cum probatur quod nihil idem potest agere in se, respondeo quod illa propositio non est vera, nisi de aliquo agente univoco, quod inducit in passum formam ejusdem rationis cum illa per quam agit... In agentibus autem aequivoce, id est quae non agunt per formam ejusdem rationis cum illa ad quam agunt, propositio illa quod nil movet se, non habet necessitatem. » (Scot., *In 1 Sent.*, d. 3, q. 7 ; cf. *Theor.* 22, n. 14 ; *Rep.*, n. 27 ; *Met.*, l. 9, q. 14, n. 4; *in 2 Sent.*, d. 2, q. 10). Scotus, etsi ita censuit, vitam generationesque et motus ita docet fieri, quasi reipsa nihil moveatur quod non sit aliunde motum.

(2) S. Thom., *in 4 Sent.*, d. 12, q. 1, a. 2.

(3) S. Thom., *in 1 Sent.*, d. 45, art. 3.

tionis, ita ut si quaedam corpora deorsum cadant dum alia sursum tollantur, non alia requirenda sit causa quam uniuscujusque corporis forma seu natura.

Verum quod attinet ad *immediatum* operationis principium, a Thomistis recesserunt Scotistae. Hi enim, ut qui potentiam activam ab ipsa substantia realiter distinctam negarent, dicebant substantiam ipsam esse principium immediatum et proximum operationis. Quod ut demonstrarent, hisce utebantur argumentis :

Substantia per se non operante, sequeretur substantias quas fieri videmus ab accidentibus produci, quod tamen nullo pacto tenendum est, tum quia simile simili generatur, tum quia perfectius, ut substantia est, a minus perfecto, quod est accidens, fieri non potest. Frustra opponitur a Thomistis substantias ab accidentibus quidem, sed iis tantum in virtute substantiae operantibus generari (1). Cum enim non agat instrumentum nisi ab agente principali motum, necesse esset ponere aliam potentiam motivam qua moveretur potentia instrumentalis, seu accidentis, et sic in infinitum ; nisi fatearis potentiam accidentis a substantia ipsa moveri, quae per se et nullo interveniente medio agat (2).

Thomistae autem substantiam non per seipsam immediate, sed tantum per facultates seu proprietates, scilicet per qualitates accidentales operari posse intelligebant. Operatio, aiebant illi, in substantiis creatis est aliquid accidentale a substantia operante

(1) S. Thom., *Sum. th.*, 1. q. 115, a. 1, ad 5 ; cf. 1, q. 67, art. 3, ad 3 ; et *Contra Gent.*, l. iii, c. 70.

(2) Cf. Scot., *in 4 Sent.*, d. 1, q. 1.

realiter distinctum, siquidem potest adesse vel abesse, salva rei essentia, ut visio, deambulatio, etc. Ergo potentia ex qua tamquam ex proximo et immediato principio oritur haec operatio est aliquid accidentale (3). Quasi hoc eodem argumento demonstrari non posset Deum ipsum per facultates accidentales operari, cum in ipsius arbitrio sit creare vel non creare ! Quasi inverso eodem argumento evinci non posset, Deum, qui ex omnium confesso per substantiam agat, non potuisse non creare !

Istiusmodi virtutes quibus ad agendum substantiis opus est, non modo sunt ab ipsis distinctae, nec ad ipsarum essentiam pertinent, verum etiam ab earum essentia seu forma substantiali non dimanant, imo ipsis jam in se constitutis adventitiae sunt. Elementa enim mundi, ex D. Thoma, jam creata existebant quum virtutes seu proprietates Deus ipsis addidit. Ignis, e. g. qui est unum e quatuor elementis, aliquamdiu exstitit priusquam calidus fieret (2). Deus enim elementa primo creavit nuda et virtutibus destituta, ita ut nullo prorsus modo agere valerent ; et nonnisi aliquo interjecto intervallo virtutes ipsis fuerunt

(1) Hoc argumentum etiamnunc afferunt neo-thomistae. Cf. Em[m] card. GONZALÈS, *Philos. element.*, Matriti, 1881, in-8, t. II, p. 95, et R. P. LEPIDI, *Philos. christian.*, Lovan., 1877, in-8, t. II, p. 263. Hic tamen contrariam sententiam vero repugnare non certo pronuntiat : « In hac quaestione, inquit, nihil dici posse videtur quod omnino sit certum. Nihilominus multo probabilior D. Thomae sententia esse videtur. »

(2) S. THOM., *in 2 Sent.*, d. 13, q. 1, art. 1 : *Quod opus distinctionis fuit necessarium post opus creationis ;* et art. 5 ; cf. *Sum. theol.*, 1, q. 74, a. 2.

collatae : antea igni, cum non esset calidus, comburendi aut calefaciendi facultas non competebat (1).

IV. — Virtutes autem, « activae et passivae », quae substantiis superadditae, sunt generationum et motuum naturalium principia immediata, a D. Thoma et a plerisque Scholasticis *rationes seminales* vocantur. Quae tamen longe alia sunt intelligenda ratione ac seminales rationes quas in rerum natura positas dixerant philosophi veteres qui substantiam quamlibet ut vim quamdam esse existimabant, cujus virtus per nisum seu conatum exseratur. Hanc vero virtutem non casu sed secundum legem seu rationem subtantiae insitam ex se operari ita intelligebant, ut omnes ejus effectus decursu temporis ex ipsius subtantiae visceribus prodirent et quasi ex intimo fonte derivarentur, nec in ipsa substantiae alterius ope producerentur; et quia aliquo modo erat semini similis, quod infinitas fere formas continet ex ipso postea orituras, ideo a Stoicis ratio seminalis, seu λόγος σπερματικός dicebatur (2).

(1) « Sicut animal non ratiocinatur in quantum est animal, sed in quantum est homo, similiter ignis non calefacit in quantum est ignis, sed in quantum est calidus. » (S. Thom., *de Veritate*, q. 5, art. 9, ad 5 ; cf. *Sum. th.*, 1, q. 77, art. 1, ad 3 et ad 4.)

(2) Christiani etiam Alexandriae doctores in qualibet creatura vim seu rationem activam agnoverant, sed quam impulsu quodam caeco secundum legem in Deo existentem operari aiebant. (Athanas., *cont. Gentes* ed. Migne, n. 40, al. 31.) Rationes *causales* seu *quasi seminales*, apud Augustinum quoque reperias, qui res quaecumque decursu temporis in lucem exeant, non tum quum appareant creari docuit, at earum semina initio temporis in elementorum textura a Deo creata esse : « Omnium quippe, inquit, rerum quae corporaliter visibiliterque nascuntur occulta quaedam semina in istis corporeis mundi hujus elementis latent... Ista originaliter ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta jam creata sunt, sed acceptis opportunita-

At rationes seminales quas inducebant Scholastici, nisum minime involutum continebant, neque in ipsis erat « ulla vis rerum quae ex iis gignerentur » : *Rationes seminales,* ait Durandus, *sunt virtutes activae et passivae collatae rebus, secundum quas non quodlibet fit ex quolibet, nec quolibet modo, sed determinatum ex determinato et determinato modo et per determinata media, sicut non ex quocumque fit equus, sed ex semine equi,* etc (1). Inde sequitur hujusmodi virtutibus nomen satis improprie a Scholasticis fuisse impositum, ut ipse D. Thomas animadvertit (2).

V. — Ulterius quaerebant Scholastici utrum substantiae creatae, rationibus seminalibus seu virtutibus activis et passivis instructae, ex se agere queant, an praeterea, ut moveantur, impulsu indigeant alieno ; et praesertim quatenus operationes causarum, ut aiunt, secundarum a prima causa pendeant, quidve in iis operationibus sit causae primae tribuendum. Et ea ipsa erat toties exagitata de *concursu divino*, seu de influxu Dei in creaturarum operationes quaestio, de qua hic disceptare instituimus.

Vox ista *concursus divini* non ita accipienda est, quasi sermo sit de auxilio quod Deus hominibus impertitur ut ad finem suum supernaturalem attingere et aeternam felicitatem promereri valeant ; istiusmodi enim adjumentum proprio *gratiae* vocabulo significa-

tibus prodeunt. Nam sicut matres gravidae sunt fetibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascentium. » (*de Trinitate*, l. III, c. 8 et 9; cf. *de Genesi ad litt.*, l. IX, c. 17.)

(1) Durand., *in Sententias*, p. 364 ; cf. Albert. M., *Sum. Theol.*, part. 2, tr. 8, q. 31, memb. 1, art. 1-4.

(2) *In 2 Sent.*, d. 18, q. 1, a. 2.

tur, et ad theologiae studiosos remitttitur illustrandum. Concursus vero de quo hic agitur, est ordinis mere naturalis, et cuncta complectitur quae ad omnium agentium (sive hominum, sive brutorum animalium, aut etiam rerum vita carentium) operationes a Deo conferuntur ; de quibus sane ad philosophos pertinet disputare.

Sententiae vero quae de concursu divino, florente scholastica philosophia, prodierunt, ad tres potissimum revocari possunt, quarum prima vult Deum causas secundas praevio influxu ad agendum applicare ; secunda vero Deum non prius quam causas secundas in earum operationes influere, et concursu, ut aiunt, simultaneo eas adjuvare ; tertia demum Deum immediate cum causis secundis ad effectum non concurrere. Has quidem sententias recensere et explicare jam tempus est.

CAPUT PRIMUM

EXPONUNTUR VARIÆ DE CONCURSU DIVINO SENTENTIÆ

§ I. — *Concursus praevius.*

Arbitrantur Thomistae non modo res creatas inter operandum a Deo adjuvari, sed etiam ut aliquo modo operandi initium faciant, praevia Dei motione omnino indigere. Profitentur enim causas secundas, etiam actu existentes virtutibusque propriis instructas, nullo pacto agere posse nisi prius a Deo motas et ad agendum applicatas et excitatas. Si fides iis adhibenda sit, ignis cum calore stuppae admotus, eam incendere non poterit nisi Deus eum ad urendum praemoverit ; item mola tenui funiculo suspensa vinculum non abrumpet nec naturali gravitate deorsus feretur, nisi Deus eam ad decidendum impulerit ; et equus quantumvis acer et generosus pedem ne movebit quidem, nisi prius eum Deus excitaverit et ad currendum praevia motione exagitaverit.

Unde fit ut, deficiente istiusmodi praevia motione, non tantum nihil ex actione creaturae procedat, imo creatura, utpote quae ex se ipsa iners et inefficax sit,

nullo modo agere viribusve uti valeat. Virtus enim agendi rebus tunc cum primum constituerentur collata ex se inefficax est, nec in actus prorumpere potest, nisi Deus eam movendo ipsi *agendi efficaciam* largiatur (1).

Divinus iste influxus *physicus* dicitur seu *praemotio physica*, ut significetur Deum non moraliter tantum causas creatas excitare, quasi alliciendo vel suadendo aut rem intellectui proponendo qua ad appetendum vel aversandum impellatur, sed etiam immediate et efficienter eam ad actionem interius determinare et applicare. Praemotio moralis ad actum efficiendum excitat, physica vero actum ipsum efficit ; moraliter tantum discipulum movet ad scribendum magister qui jubet eum scribere ; physice autem ille movet qui, apprehensa pueri manu, litteras cum eo exarat.

Inde colligitur 1° *res creatas nihil aliud esse nisi Dei ipsius instrumenta* ; quod non semel D. Thomas cum de inanima et mere corporea natura, tum de mentibus hominum aut angelorum docuit : « *Quaecumque rerum aliquid operantur,* ait, *instrumentaliter agunt a Deo mota. — Cum Deus sit primum agens, omnia quae sunt infra ipsum, sunt quasi quaedam instrumenta ipsius. Ad hoc autem sunt instrumenta instituta ut deserviant actioni principalis agentis, dum moventur ab eo. — Tota irrationalis natura comparatur ad Deum sicut instrumentum ad agens principale. — Homo sic movetur a*

(1) « Nulla res creata potest in quemcumque actum prodire nisi virtute motionis divinae. » (S. Thomas, *Sum. theol.*, 1ª 2ªe, q. 109, art. 1 ; cf. *in 2, Sent.* d. 37, q. 2, a. 2.)

Deo ut instrumentum. — Anima nostra operatur sub Deo sicut agens instrumentale sub principali agente. — Sub Deo qui est primus intellectus et volens ordinantur omnes intellectus et voluntates sicut instrumenta sub principali agente (1). »

Quod tamen non ita accipiendum est, quasi Deus rerum quas moveat locum et positionem mutare necesse habeat, sicut artifices quos instrumentis utentes videmus ; sed quod virtus divina per causas creatas transeat ut ad effectus pertingat, quemadmodum virtus artificis per instrumentum operatur.

Quod si quaesieris cujus generis sit haec motio divina, in aperto est eam non esse novam qualitatem causae secundae a Deo superadditam et impressam, vel forman permanentem et stabilem, ens, ut aiunt, ratum et firmum habentem, sed ipsi competere ens aliquod incompletum et intentionale, ad modum quo virtus motoris in instrumento relinquitur (2). Hujusmodi ergo auxilium quo Deus inertiae rerum opitulatur, transiens est et unicuique actioni accommodatum ; et proinde quotiescumque creaturae agendum est, nova motione illi opus est.

Inde sequitur 2° *Deum in omni operante operari et esse cujusvis actionis propriam causam,* non tantum quatenus rebus creatis virtutes suppeditet, quibus sint ad agendum accommodatae, sed etiam quatenus eas applicet ad agendum, et virtutem ejus causae, quae

(1) *Cont. Gent.,* l. 3, c. 94 et 100 ; *Sum. th.,* 1a 2ae, q. 1, art. 2 ; q. 21, art. 4, ad 2 ; cf. 1, q. 2, a. 2, ad 4. ; *Cont. Gent.,* l. 3, c. 149 et 147.

(2) S. Thomas, *de Pot.,* q. 3, art. 7, ad 3.

sunt ipsius instrumenta, quodammodo participent. Deus igitur est causa cujusvis actionis causae creatae, sicut principale agens est causa actionis instrumenti : « *Sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum, Deus est causa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens et applicans virtutem ad agendum* (1). »

Quare inter fictitia computandus est ille quem Stoici posuerunt nisus rerum sese intendentium, sed ipsius Dei virtus praemoventis et applicantis ea est quae causis creatis efficaciam tribuit.

Quaecumque vero actiones in hac rerum universitate fiunt, oriuntur simul a duabus causis, scilicet a Deo et a causa inferiore. Nam Deum non ita intelligunt Thomistae esse cujuslibet operationis causam, ut solus in omni actione operetur, et excludatur causae creatae efficacia, sed volunt unam et eamdem actionem a duobus agentibus immediate procedere; quod sic exponunt. Primo, quum praevia Dei motione causa finita excitatur, ista quidem nihil agit, sed simul ac mota est et applicata, cum Deo vere operatur et ad unam et eamdem actionem concurrit, quo modo instrumentum a principali agente motum unam et indistinctam cum ipso actionem producit.

Ex his apparet, causa secunda ad actionem jam applicata, concursum divinum non deficere, sed,

(1) S. Thom., *de Potent.*, q. 3, art. 3; cf. *Sum. th.* 1, q. 105, a. 5. « Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum *dat* virtutem agendi, et in quantum *conservat* eam, et in quantum *applicat* actioni, et in quantum *ejus virtute* omnis alia virtus agit... Deus est causa omnis actionis prout quodlibet agens est instrumentum divinae virtutis operantis ». (*De Potent.*, q. 3, art. 7.)

quamdiu perduret actio, ex antecedente fieri simultaneum. Deus enim postquam solus egit ut causam creatam ad operandum excitaret, non eam deserit, propria ope subtracta ; nam res creatae etiamsi influxu divino jam fuerint ad actionem applicatae, nihil, nisi continuato Dei auxilio, valent operari. « *In operatione qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura, sed ipsa naturae operatio est etiam operatio virtutis divinae sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis* (1). »

Quare dicendum est actionem esse simul totam a Deo et totam a causa inferiore. « *Patet,* ait D. Thomas, *quod non sic idem effectus causae naturali et divinae virtuti attribuitur quasi partim a Deo et partim a naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum, sicut idem effectus totus attribuitur instrumento et principali agenti etiam totus* (2). » Rem satis idoneo pictoris exemplo illustrat Massoulié : « *Conspicimus prius manu prehendi a pictore penicillum, et eo motu quo prehenditur penicillus, ipse penicillus nihil adhuc efficit, sed motum a pictoris manu dumtaxat recipit. At cum postea pictor penicillo imaginem vel delineat vel efformat, eadem actio est et pictoris et penicilli, istius ut causae instrumentalis, alterius autem ut causae principalis, neque impeditur quin eadem operatio sit utriusque, propter ordinem scilicet quem servant inter se* (3). »

Omnem doctrinam brevi formula Thomistae con-

(1) S. Thom., *de Potent.*, q. 3, art. 7.
(2) S. Thom., *contra Gentes*, l. 3, c. 70.
(3) Ant. Massoulié, *Divus Thomas sui interpres*, t. I, p. 14.

traxerunt dicentes concursum divinum tum *per modum principii,* tum *per modum actionis* fieri. Eum esse per modum principii dicunt, quia facultatem causae secundae, quae est proximum actionis principium, ultimo compleat ; et per modum actionis, quod Deus non modo rebus creatis conferat unde agere queant, verum etiam cum iis operantibus ipse actionem perficiat.

Dicunt etiam omnes causarum inferiorum effectus procedere a Deo agente tum *immediatione virtutis,* tum *immediatione suppositi ;* quod ita interpretantur : Agere immediatione virtutis est propria virtute rem aliquam efficere, etiamsi hujusmodi virtus per aliam substantiam ad effectum deferatur : sic rex agit per ministros, aut scriba calamo litteras ducit. Suppositi autem nomine exprimitur substantia completa seu in se subsistens, et causa dicitur agere immediatione suppositi, cujus substantia per se effectui conjungitur, alia non intercedente substantia qua prior agat ; ut qui digito litteras in arena describit. Deus etiam cum causis creatis operatur, dicitur tamen agere immediatione suppositi (1), quia cum sit per substantiam ubique praesens, ubique immediatione substantiae seu suppositi operatur (2).

Nec, si Thomistis credas, a Deo modo, verum etiam aliis causis externis praemoventur agentia inferiora.

(1) Franciscus Sylvester Ferrariensis (*Cont. Gent.*, l. 3, c. 70) fere unus ex Thomistis tenet Deum ad omnes causarum inferiorum actiones immediatione quidem virtutis, at non suppositi concurrere.

(2) « Dicendum quod Deus non tantum est causa immediata eo quod coagit cuilibet causae, sed etiam immediata eo quod agit per essentiam suam. » (S. Thom., *in 1 Sent.*, d. 47, q. 1, art. 1, ad 3.)

Fuit enim rerum universitas a supremo artifice ordinata ut minus perfecta perfectioribus regantur, et ea quae in infimo entium gradu sint collocata, a superioribus mutuentur unde proprias operationes exercere valeant. Inde fit ut nulla res creata, ad existendum aut ad operandum, ceterarum adjumento non indigeat, vel a ceterarum influxu et imperio sit libera. « *Oportet quod actio inferioris agentis non solum sit ab eo per virtutem propriam, sed per virtutem omnium superiorum agentium : agit enim in virtute omnium. ..... Virtus infimi agentis non habet quod producat hunc effectum ex se, sed ex virtute superioris proximi, et virtus illius ex virtute superioris...* (1). »

Mundum enim volunt esse unum, non quod ejus partes ex se concordent atque inter se conspirent aut mente quadam quasi communi vinculo contineantur, sed quod sint ita connexae ut infimae superioribus administrentur, particulares universalibus, et omnes a Deo, supremo opifice et rectore pendeant. Mundus, aiunt, unus est *unitate ordinis, minime vero unitate formae.*

Inter corporeas autem naturas astra principatum tenent, quorum adjutorio et virtute fiunt omnia quae his in terris geruntur. Non modo igitur Dei, sed etiam astrorum instrumenta sunt corpora terrestria seu sublunaria. « *Motus horum inferiorum corporum reducuntur in motum corporis cælestis, sicut in causam. — Necessarium est quod corpora nostra et alia quae in usum nostrum veniunt, per motum cælestium corporum regulentur. — Virtutes activae in his inferioribus sunt*

(1) S. Thom., *Cont. Gent.*, l. 3, c. 70 ; cf. c. 78, 79 et 88.

instrumentales tantum ; unde sicut instrumentum non movet nisi motum a principali motore et agente, ita nec virtutes inferiores activae agere possunt nisi motae a corporibus cœlestibus (1). »

Itaque tenendum est ignem, v. g. non calefacere, nisi quatenus virtutem corporum cœlestium in rem subjectam transmittat : « *Quantumcumque ignis habeat calorem perfectum, non alteraret nisi per motum corporis cœlestis* (2). »

Ab astris profluunt stupendae virtutes quas in corporibus quibusdam miramur, imo quorumdam virorum praestantia. « *Manifestum est enim quod etiam inanimata corpora quasdam vires et efficacias a cœlestibus corporibus consequuntur, et etiam praeter eas quae ad qualitates activas et passivas elementorum consequuntur, quas etiam non est dubium cœlestibus corporibus esse subjecta; sicut quod magnes attrahit ferrum habet ex virtute cœlestis corporis, et lapides quidam et herbae alias occultas virtutes. Unde nihil prohibet quod aliquis homo habeat ex impressione corporis cœlestis aliquam efficaciam in aliquibus operibus faciendis, quam alius non habet, puta medicus in sanando et agricola in plantando et miles in expugnando* (3). »

Ad omnes operationes quae his in terris fiunt, et praesertim ad viventium generationes requiritur ista quam dixi corporum cœlestium virtus, qua deficiente

(1) S. Thom., *Sum. th.*, 1, q. 115, art. 3 ; *cont. Gent.*, l. III, c. 91; *de Veritate*, q. 5, art. 9, ad 3.

(2) S. Thom., *Sum. th.*, 1a 2ae, q. 109, art. 1.

(3) S. Thom., *Cont. Gent.*, l. 3, c. 92 ; cf. *Sum. th.*, 2a 2ae, q. 96, art. 2, ad 2.

ne servari quidem possent ulla corpora ex quatuor elementis commixta.

Scilicet, ex D. Thoma, tempus erit cum cœlestia corpora stare immota videbuntur ; et eorum motu cessante, non modo nulla jam fiet generatio substantialis, sed etiam corpora mixta et ex generatione orta, in sua elementa resolventur (1).

Nullae igitur plantae neque arbores, nulla denique animalia supererunt, utpote quae nihil aliud sint quam mixta corpora ; mixta autem, cum sint ex contrariis composita, ex se in dissolutionem tendunt, nec coagmentata perdurant nisi virtute cœlorum (2). Elementa seu corpora simplicia sola durabunt, et ex tot corporibus quorum varias virtutes figurasque demiramur, quatuor tantum, terra scilicet et aqua, aer et ignis remanebunt. Haec elementa qualitates quidem quas in prima rerum institutione a Deo ipso acceperunt, etiam post universi consummationem retinebunt, operatione autem omni destituentur, ita ut ignis, etsi calidus, nullo tamen pacto quidquam calefacere vel comburere, neque aqua, licet humida, madefacere poterit (3).

Non quod ex se ipsis aut a Deo solo corpora cœlestia tanta virtute polleant ; minus enim perfecta sunt

(1) « Elementa in sua substantia remanebunt et etiam in suis qualitatibus naturalibus, sed mutuae generationes et corruptiones et alterationes cessabunt. » (S. Thom, *de Potent.*, q. 5, art. 7.)

(2) « Motus cœli est in universo corporalium naturarum sicut motus cordis in animali quo conservatur vita. » (S. Thom., *Sum. th.*, 1, q. 18, art. 1.)

(3) « Virtus ignis semper est determinata ad calefaciendum, praesuppositis tamen causis prioribus quae ad actionem ignis requiruntur. » (Id., *de Potentia*, q. 5, art. 8, ad 1.)

quam angeli ; non ergo ex se ipsis agunt, sed tantum prout ab angelis moventur, quorum ipsa sunt instrumenta. « *Relinquitur virtus spiritualis substantiae in motu corporis cœlestis ad modum quo virtus motoris relinquitur in instrumento, et per hunc modum omnes formae naturales descendunt a formis quae sunt sine materia, sicut formae artificiatorum ab artifice* (1). »

Quod si quaesieris quid ad effectum conferant res creatae, quidve sit cur proprie *causae* dicantur, sic respondebunt thomistae : « *Causa prima dicitur esse causa principalis simpliciter loquendo, propter hoc quod magis influit in effectum, sed causa secunda secundum quid principalis est, in quantum effectus ei magis conformatur* (2). »

Quod ut recte percipiatur, advertendum est res creatas quoties ad aliquid efficiendum concurrant, nihil aliud esse quam instrumenta quibus utatur Deus seu causa primaria. Instrumentum autem id ad operationem confert ut effectus plus minusve ei assimiletur et ejus naturam quodammodo referat et imitetur ; inde est quod instrumento acuto non idem fabricatur quam obtuso, etsi vi omnino eadem utrumque moveatur instrumentum. Id igitur causis secundis videtur esse munus proprium, ut pro uniuscujusque natura et qualitatibus, varias sortiantur naturas effectus qui ex utriusque causae, primariae

(1) S. Thom., *in 2 Sent.*, d. 15, q. 1, a. 2. — « Corpus cœleste in quantum movetur a substantia spirituali, est instrumentum ejus, et ita movetur in virtute substantiae spiritualis *ad causandam vitam* in istis inferioribus, sicut serra agit in virtute artis ad causandam arcam. » (Id., *de Spirit. creat.*, art. 6, ad 12.)

(2) S. Thom., *de Veritate*, q. 24, art. 1.

scilicet et secundae, concursu oriantur. « *Licet causa primaria maxime influat in effectum, tamen ejus influentia per causam proximam determinatur et specificatur, et ideo ejus similitudinem imitatur effectus* (1). »

Quod tamen non ita accipiendum est quasi influxus divinus sit ex se indifferens et generalis, et determinetur propria vi aut natura uniuscujusque creaturae, quemadmodum ex una indistinctaque æris liquentis mole, pro forma cui fuerit infusa, globus aut scutum aut statua exsurget (2). Deus quidem in omnibus creatis, at non eodem modo agit; suam contra actionem ad uniuscujusque naturam peculiariter accommodat : « *Operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem* » et « *omnia movet secundum eorum conditionem* (3). » Deo igitur praemovente, non una eademque ratione, sed varia pro cujusque natura et conditione causae creatae agitantur; inde fit ut ex concursu unius Dei cum agentibus creatis varii prodeant effectus.

Imo vitiorum quibus aliquando laborant res quae quotidie oriuntur nulla alia est ratio quam quod, Deo ad eas efficiendas influente, causa secunda concurrens non fuerit ad ejus influxum recipiendum rite disposita : « *Contingit autem provenire defectum in effectu propter defectum causae secundae agentis, absque eo quod sit defectus in primo agente, sicut quum in effectu artificis*

(1) S. Thom., *de Potent.*, q. 1, art. 4, ad 3; cf. *cont. Gent.*, l. 3, cap. 66, 99 et 147.

(2) Cf. Salmanticenses, ed. Palmé, t. II, tract. IV, disp. X, dub. 2. 3; Massoulié, *D. Thomas sui interpres*; Boursier, *l'Action de Dieu*, p. 363.

(3) *Sum th.*, 1, q. 83, a. 1, ad 3, et 1a 2ae, q. 10, art. 4.

habentis perfecte artem, contingit aliquis defectus propter instrumenti defectum (1). »

Res quae gignuntur, ut supra dictum est, a causis secundis habent unde inter se discrepent. Verum ut una res efficiatur, non una tantum causa secunda a Deo praemovetur, sed plures saepius adhibentur quarum ope et ministerio res efficienda peragitur. Non quod propria virtute vim sibi invicem incutiant, aut ex mutuo earum influxu res exoriatur ad quam procreandam omnes concurrunt.

Causae enim in hac rerum universitate non sunt in uno perfectionis et efficientiae gradu constitutae nec in se invicem quidquam agere valent ; verum sunt aliae in alio gradu ita dispositae ut quae medium obtinent locum a superioribus virtutem accipiant quam rursus ad inferiores transmittant et quasi transfundant, nec vero ulla unquam virtus ab inferioribus ad medias et ad superiores ascendat aut ad fontem quasi refluat (2).

Omnes quidem causae ad determinandos effectus aliquid conferunt, verum non eadem ratione et mensura. Etenim quo superior est aliqua causa secunda, eo communior est ejus efficientia, eoque minus per eam effectus determinatur ; at rursus, quo inferior est causa et magis ad effectum accedit, eo magis per eam contrahitur et definitur effectus.

Atqui nulla est concurrentibus causis generata res, ut *Bucephalus*, in qua non possint haec quatuor obser-

(1) *Cont. Gent.*, l. 3, c. 71.

(2) « Virtus infimi agentis non habet quod producat hunc effectum ex se, sed ex virtute superioris proximi, et virtus illius ex virtute superioris. » (S. Thomas, *Cont. Gent.*, l. 3, c. 70.)

vari : primo ratio *entis*, quae est omnium maxime communis ; deinde ratio generalis *corporis*, tum ratio specialis *equi*, ratio demum individua *Bucephali* seu *hujus* equi. Unumquodque autem ex his quatuor quibus constituta est quaelibet natura reapse existens, proprias et a ceteris specie distinctas requirit causas ; unde sequitur cujusvis naturae plures et quidem quadruplicis ordinis causas exstitisse, quarum infimae superiorum omnium quasi instrumenta se gesserint. Bucephalus genitus est a parentibus quorum efficacia factus est *hic* equus seu substantia singularis in equina specie constituta ; quod autem sit equus aut corpus sit sortitus, id habet a quibusdam corporibus cœlestibus, quae rerum generibus et speciebus praesunt (1) et quorum virtute et operatione causae proximae effectuum ad agendum applicantur (2). Singulae autem causae creatae, cum superiores tum inferiores, simul a Deo suprema omnium causa immediate praemoventur et adhibentur, cujus virtutem *entis* effectricem usque ad effectum in specie et individuo determinatum deferunt (3).

(1) « Virtutes quae sunt in inferioribus moventes ad determinatas species reducuntur in aliquas virtutes cœlestes determinatas, et hujusmodi virtutes determinatae consistunt praecipue in stellis quae secundum diversos respectus et conjunctiones imprimunt ad diversas species. » (S. THOMAS, *in 2 Sent.*, d. 15, q. 1, art. 1)

(2) « Quidquid in istis inferioribus generat et movet ad speciem est sicut instrumentum cœlestis corporis. » (Id., *Sum. th.*, 1, q. 115, art. 3, ad 2; cf. *de Pot.* q. 3, art 7; *in 2 Sent.*, d. 17, q. 2, art. 1, ad 4.) Vulgatum est apud Scholasticos effatum : *Sol et homo generant hominem.*

(3) « Secundum ordinem causarum est ordo effectuum. Primum autem in omnibus effectibus est *esse* ; nam omnia alia sunt determinationes ipsius. Igitur *esse* est proprius effectus primi agentis, et omnia

§ II. — *Concursus simultaneus.*

Scotistae et Molinistae, etsi quibusdam inter se discrepant, tum in repudianda praemotione physica, tum in adstruendo concursu *simultaneo* consentiunt. Divina quidem ope ad agendum ita indigere res creatas intelligunt ut ipsa infinita potentia rem aliquam efficere nequeat, quae, Deo non adjuvante, quidquam per se gignat, et Deus ipse, etiam *de potentia absoluta,* hujusmodi rem creare non possit (1).

Non quod, ut contendunt Thomistae, causae finitae absque praevia Dei motione, tanquam *potentiae nudae,* sint ex se inertes et iis quae ad agendum requirantur, destitutae. Imo vero causae finitae sunt in suo ordine perfectae, et ex se ita agere valent ut earum operatio non aliunde aut quasi ex alieno fonte, sed ex intimis ipsorum, ut ita dicam, visceribus sit derivata. Nihilominus, ut aliquis ex earum actione effectus prodeat, divina virtus cum iis conspiret necesse est. Quoties igitur causa finita agere incipit, praesto adest divina virtus, quae ad eumdem tendit effectum, ita ut influxus divinus, ut aiunt, non in

alia agunt ipsum in quantum agunt in virtute primi agentis ; secunda autem agentia, quae sunt quasi particulantia et determinantia actionem primi agentis, agunt, sicut proprios effectus, alias perfectiones quae determinant *esse.* » (Id., *Cont. Gent*, l. 3, cap. 66 ; cf. *de Pot.*, q. 1, art. 4, ad 3.)

(1) Hurtadus tamen (*Universa philosophia,* disp. 10, sect. 2) et Arriaga (*Cursus philos.*, Paris, 1647, in-fol. Disp. x phys., sect. i, p. 338 et 339), licet idem teneant, fatentur contrariam sententiam argumentis, iisque non invalidis confirmari.

causa finita, sed in effectu tantum recipiatur : minime enim causa agens a Deo movetur (1).

Non enim est causa creata, ut Thomistae volunt, instrumentum a causa primaria motum, quod non nisi per actualem moventis actionem agere valeat ; in ipsa vero inest a prima institutione virtus operandi propria et permanens. Concursu igitur simultaneo causa secundaria a Deo non movetur, neque ei quidquam confertur quo roboretur aut ad agendum excitetur. Duae vero causae, prima scilicet et secunda, simul pro sua quaeque parte agunt, quemadmodum duo homines eamdem navem funibus una trahentes, quorum nisus ita conspirant ut in eumdem effectum uterque influat, neuter tamen in alterum agat (2).

(1) D. Thomas autem docet effectum virtute divina non nisi per causam finitam attingi : « Causa secundaria per prius recipit influentiam causae primae quam effectus causae secundariae. » (*de Veritate*, q. 27, art. 6.) — Mastrius ab aliis fere omnibus qui Scoto assentiuntur, recedit, praeviam quidem motionem respuens, asserens tamen divino influxu causam secundam moveri. « Motio efficax Dei qua applicat causam secundam ad operandum, non antecedit ipsam actualem operationem causae secundae, tanquam Deus in aliquo instanti moveat causam et in hoc ipse solus active se habeat, causa secunda mere passive se habente », verum motio Dei est « quasi comitans actualem operationem causae secundae ut ideo in eo instanti quo movetur a Deo ad operandum non solum Deus ipsam moveat, sed et ipsa quoque simul cum Deo per motionem receptam ad operandum se applicet, sicut non solus Deus, sed et ipsa quoque operatur ad communem effectum. » (*Disputat. theol.*, Venet., 1684, *in 2 Sent.*, d. 1, q. 3, art. 1, p. 31.)

(2) « Cum dicimus neque Deum neque causas secundas esse integras sed partiales causas effectuum, intelligendum id est de partialitate causae, ut vocant, non vero de partialitate effectus : totus quippe effectus et a Deo est et a causis secundis, sed neque a Deo neque a causis secundis ut a tota causa sed ut a parte causae,

Ut Thomistae sentiunt, causa a Deo praemota forsan melius explicabitur exemplo equi non modo sarcinae trahendae imparis, sed etiam jejunio ita debilitati ut pedem movere nequeat, cui novas abundanti pabulo vires addideris. Qui autem concursum simultaneum propugnant, causam secundariam potius assimilabunt equo ceterum generoso viribusque praestanti, licet tantum onus vehere non valeat, quod tamen alterius equi adjutorio facile traxerit.

Licet ambae teneant effectum esse totum et pro indiviso ab utraque causa concurrente, duobus tamen differunt Molinae et Scotistarum sententiae.

1° Scotistae docent Deum et creaturam duplici actione in effectum influere ; Molina vero vult unam tantum actionem fieri quae sit simul Dei et causae creatae. Haec autem optime cohaerent cum iis quae de natura actionis tradunt utriusque scholae philosophi. Scoto enim placet actionem fieri in agente, unde sequitur tot esse actiones quot agentia concurrentia. Molina autem, quod volebat actionem in patiente fieri et esse revera unum et idem atque effectum, sibi constitit cum dixit Dei et causae finitae concurrentium esse unum effectum et proinde unam dumtaxat actionem (1).

quae simul exigit concursum et influxum alterius ; non secus ac cum duo trahunt navim totus motus proficiscitur ab unoquoque trahentium, sed non tanquam a tota causa motus, siquidem quivis eorum efficit cum altero omnes et singulas partes ejusdem motus. » (MOLINA, *de Concordia*, q. 14, art. 13, disp. 26, ed. Lethielleux, p. 157 et 158.)

(1) « Actio non est in agente, sed recipitur in patiente. » — « Per omnem actionem semper aliquid immediate producitur, cum quo actio sit idem re, sed ab ea formaliter distincta. » — « Non sunt duae

Verum, ut mihi videtur, duo ista placita verbis quidem discrepant, re vero concinunt. Quod enim a Scoti discipulis *actio* vocatur, a Molinianis *influxus* dicitur, qui propterea volunt actionem unam seu effectum unum duplici influxu a Deo et creatura fieri. « *Sicut ad generationem equi non satis est influxus solis sine influxu equi, neque influxus equi sine influxu solis, ita ad nullius effectus productionem satis est influxus Dei sine influxu causae secundae particularis; neque vicissim influxus causae secundae particularis sine influxu Dei per concursum universalem quo adjuvetur et quem Deus de lege ordinaria statuit nunquam denegare* (1). »

2° Majoris vero momenti est inter utramque doctrinam de natura influxus Dei concurrentis dissidium. Scoti quidem discipuli docent concursum divinum esse specialem et determinatum ; Moliniani vero, duntaxat generalem seu vagum et indifferentem.

Quod planius intelliges dummodo advertere volueris duplicem dari indifferentiam, duplicemque determinationem, scilicet quoad speciem et quoad individuum. Indifferentia quoad speciem ea est qua plures eosque specie diversos effectus una causa producere valeat, ut cum concursu solis plantae vel animalia diversi generis gignuntur. Indifferentia autem quoad individuum in eo sita est ut ex eadem causa ad effectus unius speciei producendos determinata, plures

actiones, sed una tantum actio numero est, quae, ut a Deo, dicitur concursus Dei ; ut vero a causa secunda, puta ab igne calefaciente, dicitur concursus causae secundae. » (MOLINA, *de Concord.*, q. 14, art. 13, disp. 28, 27 et 32, p. 170, 166, 187, 155.)

(1) MOLINA, *de Concordia*, q. 14, art. 13.

tamen in eadem specie effectus oriri queant, ut ex uno equo plures equi generari.

Porro Scotistae statuunt Dei concursum tum quoad speciem, tum quoad individuum esse physice et per se ad effectum qui producitur ita determinatum, ut nullus alius effectus, nec specie diversus nec numero distinctus, possit per illum produci (1), ut v. g. eodem influxu divino quo generatur equus non possit generari asinus, aut etiam alius equus atque ille qui hic procreatur. Proinde a parte Dei tot requiri volunt influxus natura et numero diversi quot res efficiantur.

Moliniani autem arbitrantur concursum Dei non esse nisi vagum aut indifferentem et ad quamlibet speciem aut substantiam pro causarum secundarum natura aut arbitrio flexibilem. Deus, ut aiunt, eodem modo cum qualibet causa concurrit, nec alio ipsius influxu fiunt equus aut asinus, vermis aut homo, nefarium aut egregium facinus. Varietas igitur effectuum non est ab influxu divino, qui simplex est et uniformis, sed a causis secundis quae natura et virtutibus differunt. « *Deus generali concursu influit ut causa universalis influxu quodam indifferenti ad varias actiones et effectus ; determinatur vero ad species actionum et effectuum a particulari influxu causarum secundarum, qui pro diversitate virtutis cujusque ad agendum diversus est ; aut si causa libera sit, in ipsius potestate est ita influere ut producatur potius haec actio quam illa, puta velle quam nolle, aut ambulare quam sedere, et hic effectus quam ille, nempe hoc artefactum potius quam illud, vel etiam suspendere omnino influ-*

(1) Scot., *in 1 Sent.*, d. 39 et 41.

xum ne ulla sit actio. Porro concursus Dei generàlis determinatur a particulari concursu causarum secundarum, non secus ac influxus solis, qui etiam universalis est, determinatur ab influxu hominis ut producatur homo, et ab influxu equi ut oriatur equus : sol enim et homo generant hominem ; eademque ratione sol et equus generant equum (1). »

§ III. — *Concursus mediatus.*

Doctores quorum placita hucusque retulimus, quantumvis inter se dissentiant, in hoc tamen omnes consentiunt quod arbitrantur immediato Dei concursu res ita fieri ut eo deficiente causae creatae quidquam, ne per miraculum quidem seu, ut aiunt, de absoluta Dei potentia, agere non valeant.

Alia sententia e contrario statuitur ad actus creaturarum qui *ordinem naturalem* non transcendant, seu qui non sint ad aeternam felicitatem promerendam accommodati, Deum non nisi *mediate* seu remote (2) concurrere, scilicet quatenus rebus a se creatis expeditam largitus est agendi potentiam, vi cujus ex seipsis operantur nec aliena ope indigent ad agen-

(1) Molina, *Concord.*, q. 14, art. 13, disp. 26, p. 155 ; cf. disp. 29, p. 174, 175, et disp. 32, p. 186-189.

(2) Dici tamen potest secundum hanc sententiam Deum ad omnes actus concurrere *immediatione virtutis*, quatenus res creatae nihil habent virtutis quod a Deo non acceperint. (Cf. supra, p. 24.)

dum (1). Unde dicitur Deus esse quidem causa omnium quae rebus creatis fiant, sed *mediata* tantum, scilicet quia ab ipso sunt causae finitae et, ut aiunt, *causa causae est causa causati.* Ad omnes igitur actiones Deus concurrit, non jam ut magister apprehensam discipuli manum ad litteras exarandas promovet, aut conjunctum equum ad trahendam sarcinam equus adjuvat, sed tantummodo ut magister cum puero scribente concurrit quem scribendi artem docuit, aut opifex cum horologio quod horis designandis idoneum fabricavit.

Ista opinio in schola *Durandi sententia* vulgo dicitur, non quod illius Durandus primus auctor exstiterit, sed quod primus eam quasi ex professo aut instituto docuit et argumentis confirmavit.

Non tamen ille, quod ejus adversarii objiciunt, iis annumerandus est quos indignatus ait D. Augustinus velle « *tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cetera jam fieri ab ipso mundo sicut ille ordinavit et jussit, Deum autem ipsum nihil operari.* » Etenim, ut Durando placuit, si Deus immediate ad actus creaturarum non concurrit, non ideo cessare ab omni operatione existimandus est, cum novae res ab eo procreentur, et quaecumque existant continuata ejus operatione conserventur. Nostro enim non satis est ad rerum conservationem explicandam, si Deus eas non destruat, aut ea removeat quibus corrumpi possint : vult praeterea positivo quodam Dei influxu eas in existentia sustineri, quo cessante, in nihilum cedant.

(1) « Posita causa proxima et sufficiente alicujus actionis et non impedita, oportet ponere actionem. » (DURAND., p. 232.)

Inde colligit Deum esse immediatam omnium causam : « *Quamvis*, ait, *Deus non sit immediata causa omnium quantum ad productionem, est tamen immediata causa omnium quantum ad conservationem* (1). »

Durando non placet D. Thomae doctrina de primigenia substantiarum inertia (V. supra, p. 24 seq.). Statuit contra omnem substantiam ex se actuosam esse : *Inconveniens est*, ait, *ponere aliquam substantiam otiosam seu destitutam omni operatione.* » (p. 296). Iisque ornata virtutibus arbitratur agentia creata, ut non modo sint superioris causae instrumenta, sed propria efficacitate polleant et per se formas, excepta dumtaxat mente humana, in praejacentem materiam inducant (2) ; imo fieri posse ut Deus non solum res finitas tanquam instrumenta adhibeat quibus alias res e nihilo educat, verum etiam ut ipsis vim largiatur per se quasdam naturas, quarum nulla prius existat materia, procreandi (3).

(1) Durandus, p. 227. Mirum sane quomodo Em[us] Card. Zigliara statuens « creaturas ad existendum indigere necessario positiva Dei conservatione », scribere potuerit : « Conclusio est *contra Durandum* aliosque qui stant pro necessitate solius conservationis negativae. » (*Sum. philos.*, t. II, p. 469.) Saepius enim Durandus profitetur res absque divino influxu non posse subsistere : « Creatura, si sibi relinquatur, cedit in nihilum et nihil est. » (P. 462 ; cf. p. 82, 227, 228 et 402.)

(2) « Forma actualis quaecumque inferior, excepta anima rationali, est effectus causae secundae » (Durand., p. 346).

(3) Teste D. Thoma, Avicenna et Algazel docuerunt Deum reapse naturas inferiores adhibito superiorum ministerio creavisse. Petrus autem Magister sententiarum (IV, d. 5, § III) tenet Deum quidem finitis agentibus tanquam instrumentis ad res e nihilo creandas uti posse, minime vero ipsis tribuere ut propria virtute ad res ex nullo subjecto educendas operentur. At theologi fere omnes vim creandi, ne *instrumentaliter* quidem, nolunt agenti finito posse communicari. (Cf. S. Thom.,

Cum tantam substantiis creatis virtutem inesse Durandus dixerit, non mirandum est quod minorem quam D. Thomas in inferiorum actionibus partem astris tribui voluerit. Cœlestibus corporibus ad agendum praemoveri res inferiores inficiatur, quas non alia de causa ex illis pendere concedit quam quod illorum ministerio a Deo conserventur (1).

Astra quidem aliquid in rebus inferioribus posse confitetur, ea tamen ratione ut ab ipsorum actione virtutes aut operationes rerum inferiorum non deriventur. Ceterum astra ipsa, ut reliquas substantias, propria vi dicit agere, nec tantum virtute sibi ab angelis communicata a quibus regantur et moveantur : « *Corpora cœlestia immediate causant in istis inferioribus formas aliquas, puta lumen in aere et in aliis corporibus diaphanis* (2). »

Etenim corpora cœlestia non modo per motum agere arbitratur, sed etiam virtute quae ex ipsorum

1, q. 45, art. 5; Scot., *in 4 Sent.*, d. 1, q. 1) Haec autem sunt Durandi verba : « Quamvis nulli creaturae communicatum sit quod creet, tamen non apparet aliqua ratio conveniens quod Deus non posset facere aliquam creaturam quae possit aliquid producere nullo supposito in quo agat. » (P. 290 et 291.)

(1) « Influentia cœli non requiritur ad actiones inferiorum, nisi quia conservat virtutes eorum. » (Durand., p. 905.)

(2) Durand, p. 328. Imo corpora caelestia aliquid ad viventium generationem conferre docuit Durandus, non quidem propria virtute sed solummodo in virtute Dei : « In cœlo, inquit, licet non sit vivens, est virtus generativa rerum viventium, non quia motum ab intelligentia, nec quia virtus sit ei influxa ab aliqua intelligentia creata ; sed quia productum est a Deo tanquam quoddam semen omnium generabilium et corruptibilium. Et sic cœlum agit in virtute Dei ad productionem viventium, sicut semen equi generantis ad producendum equum. » (Id., p. 353.)

essentia profluat; verum ut aliquid agant res inferiores, neque motus neque operationes eorum requiri, quia omnis effectus sit tantum a virtute causae efficienti propria (1). Motum etiam cœli per se nullius esse principium operationis (2), sed tantum mutata rerum agentium aut patientium positione, occasiones praebere unde novae fiant operationes, ita a Durando explicatur : « *Quia ad actionem requiritur quod agens et passum sint approximata, quo facto necessario sequitur actio, nisi sit aliud impedimentum. Si igitur sit aliqua actio de novo, oportet quod de novo activum sit approximatum passivo. Haec autem approximatio fit per motum localem, et ideo motus localis praeexigitur ad novitatem actionis... Requiritur etiam ad alternationem actionum. Quia idem manens idem natum est facere idem, ut dicitur II de Gener.; ideo si cœlum non moveretur, sol et astra quae semper eodem modo se haberent ad determinatas partes terrae, semper idem facerent nec esset in eadem parte alternatio diei et noctis, caloris et frigoris, aestatis et hyemis, sed unum et idem semper. Ad hoc igitur ut sit circa easdem partes terrae horum alternatio, requiritur quod corpora astrorum per motum approximentur diversis terrae partibus* (3). »

Quae omnia D. Thomae placitis adversantur. Hic enim docuerat, fore ut cessante motu cœli deficiat

(1) « Actio est tota causaliter a formis corporum substantialibus et accidentalibus. » (p. 356.)

(2) « Motus cœli non est principium per se alicujus actionis. » — « Nullo modo videtur quod cœlum ratione sui motus localis sit causa alicujus alterationis, nec illius quae est ab ipso immediate nec cujuscumque alterius. » (p. 905.)

(3) Durand., p. 356.

omnis actio rerum corporalium, nullaque deinceps fiat generatio aut corruptio, et stuppa v. g. igni applicata non comburatur. Quod ita Durandus confutat : « *Impossibile est quod aliquid habens principium agendi aeque perfectum ut prius et passum aeque dispositum ut prius non possit agere ut prius. Sed cessante motu cœli ignis remanebit ita calidus ut prius et stuppa aeque disposita ut calefiat sicut prius. Ergo eis approximatis ignis necessario combureret stuppam sicut prius et eodem modo* (1). »

Jam nobis ex ordine examinanda sunt argumenta quibus singulae sententiae confirmari videntur (2). Primum quae ad probandum concursum immediatum pertinent et quae ipsi adversantur referemus.

(1) Id., p. 905.

(2) Quae ex sacris Scripturis recte aut perperam deprompta sunt consulto praetermittemus, ut qui hic non theologi sed philosophi partes susceperimus.

CAPUT SECUNDUM

EXPENDUNTUR ARGUMENTA PRO CONCURSU IMMEDIATO

HÆC ARGUMENTA 1° E SUPREMA DEI POTESTATE, 2° EX DETERMINATIONE RERUM, 3° EX PRÆSCIENTIA DIVINA SUNT PETITA.

§ I. — *Argumenta e suprema Dei potestate.*

1° Complutenses sic argumentantur : Deus cum causis finitis facultatem agendi largiretur, a suo imperio relaxare non potuit quae ex ipsis erant oritura. Igitur quae causis secundis fiunt, non minus a Deo pendent quam si ab ipso solo auctore fierent. Immediate autem ab eo penderent si esset unus earum artifex. Immediate ergo ab eo pendere existimanda sunt quamvis a causis secundis ortum ducant ; quod tamen fieri nequit nisi Deus concursu physico et immediato ita cum causis secundis concurrat, ut rerum ab iis profluentium sit et ipse auctor et causa.

His vero occurri potest : Quae creaturarum ministerio fiunt, licet mediate tantum, non ideo minus a Deo pendent. Quidquid enim in iis est essentiae aut virtutis, non habent nisi ex voluntate et concessu Dei,

nec ipsa permanebunt nisi quatenus Deo libuerit. Hujusmodi res non sunt in Dei ditione et potestate minus positae quam aedes in arbitrio domini qui eas ipse quidem non exstruxit, sed opifici aedificandas locavit. Quis autem dominum dicat juris in domum habere minus quam si ipse eam propria opera constituisset !

2º « *Sicut se habet esse ad esse, sic agere ad agere. Sed créatura omnino non esset nisi Deus immediate ei adesset ; ergo similiter creatura aliquid non ageret, nisi immediate Deus coageret.* » Haec quidem sibi objecta refert Durandus (p. 292), et diluit negando idem de *esse* et *agere* dici debere. Causae secundae, ait, non permaneret *esse* nisi adesset ei Deus, cujus est immediatus effectus non solum in *fieri* sed etiam in conservando. *Agere* autem causae secundae, cum non sit immediatus Dei effectus, non indiget ut immediate a Deo fiat. Facile enim intelligitur fieri posse ut res a Deo immediate creata et conservata, aliquid operetur, quamvis Deus immediate cum ipsa non concurrat.

3º Alii dicunt : Res quae ad agendum concursu Dei immediato non indigeret, haberet operari *a se*, essetque prima in agendo. Deus autem unus potest operari *a se*, ut qui sit ens *a se*.

At longe aliud est operari *a se* atque operari sine alterius consortio. Ille proprie operatur *a se*, qui a nemine accepit principium et virtutem agendi ; quemadmodum ille dicitur esse *a se*, cui nemo existendi fecit exordium. Causae autem secundae, ut existentiam, ita vires et potentiam a Deo acceperunt.

4º Praeterea, si rerum quae naturaliter fiunt Deus non sit auctor nisi quia earum causas creet et conser-

vet, non existentium perinde atque existentium effectuum habendus est auctor. Effectus enim non existentis sed mere possibilis pariter atque existentis servat causam.

Verum res non ita accipienda est. Existentis quidem effectus Deus est causa mediata ; effectus vero non existentis neque mediata neque immediata causa est, ut patet. Qui aliquod famulo negotium commisit, hujus causa mediata dicetur, si famulus officio functus erit ; sin autem, nullo modo causa erit. Idem de Deo cum causis finitis tenendum est.

5º Cum Deus non agat nisi intellectu et voluntate, rei alicujus causa esse immediata jure existimandus est, dummodo cognoverit et voluerit eam existere. Omnia autem quae per causas finitas gignuntur, Deus novit vultque fieri; omnium igitur est causa immediata.

Hoc tamen esse concedendum non crediderim. Ut Deus rei cujusdam causa immediata habeatur, non satis est si velit eam quovis modo fieri; requiritur vero ut eam velit a seipso fieri ; omnium autem quae vult aut permittit ab aliis fieri non est nisi causa mediata.

6º Immerito contendit Sanseverino oportere ut semel admisso concursu mediato, *esse* effectuum magis a causa secunda quam a prima pendeat. Cum enim res creata efficiens non sit sui ipsius causa, tota vero ejus essentia et virtus a Deo pendeat, res quas efficit magis Deo quam ipsi sunt subjectae.

Ceterum si cl. viri ratio recte conclusa sit, a pari dicendum erit : Accidentia a substantia cui inhaerent magis quam ab alia pendent ; si qua existeret substantia finita, accidentia ejus magis ab ipsa quam ab

infinita substantia penderent, quod est inconveniens : nullam ergo substantiam finitam existere, sed accidentia divinae naturae inhaerere putandum est. Quod sane pantheismum redolere nemo non confitebitur.

7º Secundum D. Bonaventuram, ex legitima facultatis exercitatione perficiuntur creaturae. Quod si in exercendis facultatibus sibi sufficerent, ipsae sine ullo Dei influxu meliores et perfectiores evaderent. Ergo res creatae non sine immediato Dei concursu operantur (1).

Etiamsi pro certo haberetur majorem agenti ex operatione accedere perfectionem, non tamen a Deo minus pendere dixerim causam quae sine immediato Dei concursu aliquid operata fuerit, utpote quae nonnisi ex concessu et libito Dei et ex virtutibus quibus ab eo ornata fuerit, perfectior evaserit.

Verum non ita facile crediderim causam propria operatione perfici : non enim habenda est operatio quasi aliquid entis superadditum sive facultati quae sit a substantia realiter discreta, sive substantiae quae prius fuerit omni actione destituta. Cuilibet autem substantiae actio ita essentialis est ut nunquam non operetur ; per operationem igitur substantiae nihil accedit. Ipsae etiam substantiae quae varii generis operationibus exercendis natae sunt, cum in singulas operationes erumpunt, nihil prorsus entis acquirunt, suntque cereae moli similes quae varias in figuras fingitur nec tamen augetur aut minuitur.

8º Quaecumque in rerum natura fiunt, ita a Deo pendere existimanda sunt, ut si ipsi placuerit, causis

(1) S. Bonav., *in 2 Sent.*, d. 37, q. 1, a. 1, ad 4.

ceterum rite ad agendum applicatis, nullus effectus ex earum actione profluat, ut ignis, v. g. lignum admotum non incendat. Quod quidem ut accidat (tanta est Dei potentia !) non requiritur ut ille causarum inferiorum actionem contraria quadam actione cohibeat ; sed satis est ipsum velle eas remanere inefficaces. Id autem rite fieri posse intelligitur si Deus cum causis secundis ad omnes earum operationes immediate concurrat : deficiente enim concursu divino, causa secunda iners aut inefficax remanebit. Si vero citra Dei opem et consortium causae sint ex se actuosae, effectus ex earum operatione sequetur, nisi reluctantis Dei actione cohibeatur.

At, ni fallor, etiamsi Deo opus sit contraria quadam actione creaturarum virtutem cohibere, ne in effectus erumpat, non continuo Deus minoris perfectionis arguéndus est ; non enim ipsi majore nisu opus est ut contra causam finitam agat, quam ut velit cum ea non concurrere.

Verum, ut optime animadvertit Aureolus, licet creaturae immediato Dei concursu non indigeant, ne quis ex earum operatione effectus sequatur, minime requiritur ut adversa quadam actione compescatur, sed satis est Deum velle eas non operari aut ex earum actione nihil profluere. Res enim creatae non agunt aut aliquid efficiunt nisi quatenus Deus vult aut concedit eas agere et esse efficaces.

9° Si quae res existant neque a Deo immediate effectae sint, ab ipso non possunt nullius adhibito ministerio deleri (1).

(1) Cf. Poncius, p. 477, 478 ; Molina, q. xiv, art. 13, disp. 25.

At cur Deus per se solum non possit destruere quae ab aliis effecta sint, non video, praesertim cum causae secundae nihil agant nisi virtutibus a Deo collatis, nec propterea quidquam efficere valeant quod a Dei voluntate et arbitrio non pendeat. Nonne, quaeso, possum diruere domum quam ipse non exstruxi (1)?

§ II. — *Argumentum ex rerum determinatione.*

Nihil fit quod non sit determinatum, non modo quoad speciem, verum etiam quoad individuum. Causa quidem finita rei quam efficit illud confert quo ad propriam quamdam speciem potius quam ad alteram pertineat ; ab ea vero non pendet cur res effecta sit *haec* potius quam *illa*. Etenim quoties causa creata potentiam exercet suam, unus quidem producitur effectus, multi autem fieri potuerant per omnia similes numeroque tantum discrepantes. Ut exemplo res elucescat, cum ignis stuppae admotus est, alius ignis generatur ; verum ex eodem igne et eadem stuppa, iisdemque rerum adjunctis, ignes numero infiniti poterant generari, ex quibus unus tantum reapse generatur. Quid igitur fuit cur ex tot *possibilibus* unum potius quam quodvis aliud ad existentiam adduceretur, nisi quod Deus cum causa secunda immediate

(1) Non magis video cur res, quod contendit Mastrius (*Phys.*, d. 7, q. 6, a. 1) a Deo immediate conservari non possint, nisi ab ipso immediate sint effectae.

concurrens, effectum per eam quoad speciem determinatum ipse quoad individuum determinavit (1)?

Ita quidem Scotistae ratiocinantur, Doctoris sui auctoritate freti, qui profitetur sibi non apparere *quare non possit natura aliquid idem numero reducere* (2).

Rectene an male existiment praeter effectum qui hic et nunc causa secunda gignitur, plures alios esse *possibiles*, non mihi in animo est inquirere ; neque refugio ipsis concedere rerum quoad individuum determinationem esse causae primae adscribendam. Verum non ideo concesserim Deum cum causis secundis physice et immediate concurrere. Ut enim Deus effectum quoad individuationem determinare possit, non requiritur ut illum per se agat, sed satis est si velit et decernat eum determinari. Ex omnibus enim effectibus qui dicuntur *possibiles* numeroque tantum differentes, nonne potest Deus statuere ut unus praeter alios per causam secundam e potentia ad actum traducatur, quin tamen ipse effectum procreare necesse habeat? Hoc fere pacto, architectus domum cujus aream formamque descripserat determinavit, nec tamen ad eam aedificandam physice cum parietum structoribus concurrit.

§ III. — *Argumentum ex praescientia divina.*

Omnium quae olim futura sunt Deus exploratam habet scientiam, nec tantum novit quae a causis *necessariis*, h. e. ad unum determinatis oritura sunt, sed

(1) Poncius, p. 477.
(2) Scot., *in 4 Sent.*, d. 43, q. 3.

etiam quaecumque a libero causarum arbitrio pendent et propterea *futura contingentia* nuncupantur. De his autem scientia nequit esse certa et indubitata, nisi divino concursu omnia agentia ad operandum indigeant, et Deus ab initio, pro sua libera et incommutabili voluntate, noverit quibus actionibus efficiendis opem suam sit collaturus, sine qua fieri non possint, qua vero collata, certo eventurae sint. Etenim quamvis ea quae ex causis ad unum determinatis et adstrictis oritura sunt, perspecta eorum causa, certo praesciri possint, ut solis lunaeve defectiones, ea quae a voluntate non determinata fient, conjectura tantum, etiam a Deo, possunt praevideri, nisi voluntas libera non sit unica suorum actuum causa et a Deo determinari indigeat. Sin autem Deus ad omnia quae fiant propria actione concurrat, facilius intelligitur quomodo, perspecta voluntate sua in posterum concurrendi, certo sciat quaenam ex suo concursu, ut qui falli nequeat, secutura sint (1).

Quod quidem argumentum non iis tantum confutandum est qui negant Deum immediate cum ceteris rebus concurrere, verum etiam iis qui, Molina duce et magistro, autumant Deum immediato quidem sed ex se indifferenti concursu causas secundas adjuvare, effectus vero per ipsas determinari. Etenim, etiamsi Deus novit quando quibusve agentibus concursum suum sit ministraturus, non tamen videtur compertum habere quam in partem voluntas libera illum sit inflexura, quisve effectus inde sit oriturus.

(1) Cf. Scot, *in 2 Sent.*, d. 1, q. 2; d. 37, q. unic.; *Report.*, n. 5.

Mihi quidem non placet ratio qua Durandus explicare conatur quomodo citra concursum immediatum, Deus de futuris contingentibus, perspectis eorum causis, exploratam habeat scientiam : « *Sicut in causa necessaria,* inquit, *praecognoscitur effectus necessarius certa cognitione, sic cognita impedibili causa et omnibus quae eam impedient vel non impedient, certitudinaliter potest cognosci quis effectus eveniet vel non eveniet. Et similiter cognita causa indifferente vel impedibili, si cum ea cognoscantur omnia quae eam determinare possunt et determinabunt, et omnia quae eam impedire possunt et quae impedient vel non impedient, potest infallibiliter cognosci quis effectus eveniet* (1). »

(1) Durand., *in 1 Sent.*, d. 38, q. 3, p. 237. — Eumdem fere explicandae praescientiae modum saeculo xvii° proposuerunt philosophi qui *Augustinianorum* nomine gloriabantur : « Dieu connaît, d'après ses lois générales, tous les effets physiques qui sont tous des modifications du mouvement ; il sait, de plus, suivant quelles lois les phénomènes physiques le portent à donner aux âmes telle ou telle impression. De plus, il a mis dans l'âme des inclinations invincibles dont il connaît tous les ressorts : il a, par exemple, formé dans notre cœur un désir insatiable du bonheur ; par conséquent, il sait déjà que l'âme se tournera toujours vers l'objet qui lui paraîtra le plus capable de la rendre heureuse. Soit un exemple :

« Pierre veut se promener, mais il se présente deux endroits où il pourrait aller se récréer, ou dans la galerie de sa maison ou dans son jardin. Je suppose qu'il ne voit point tout d'un coup l'avantage qu'il y a pour lui de choisir la galerie préférablement au jardin, quoique enfin il s'y détermine après s'être persuadé que l'air du jardin est trop vif et chargé d'exhalaisons malignes qui pourraient l'incommoder. On demande comment Dieu a connu de toute éternité, dans la comparaison de ses lois, cette détermination libre de Pierre ; le voici :

« Dieu connaît pour tous les temps l'état de tous les corps et leurs rapports les uns avec les autres. Il sait donc de toute éternité la disposition bonne ou mauvaise du corps de Pierre pour le moment dont nous parlons. Il connaît de plus quelles seront les pensées et les

Verum, ni fallor, si causa effectus proxima libere sit operatura, Deus, ut qui ejus causarumque eam antecedentium et moventium naturam exploratam habeat, maxime quidem probabili conjectura, non tamen indubitata scientia deteget quid ex pluribus causa libera sit electura. Contingens igitur effectus, ne in causa quidem qua quodammodo continetur, certo praesciri non potest.

Rectius igitur arbitratus est D. Thomas quae nondum sunt, sed olim reapse efficientur, a Deo non in suis causis praesciri, sed in se ipsis quasi actu praesentia videri, propterea quod ejus aeternitas ex multis sibique succedentibus non coalescat instantibus, sed tota simul omnia tempora complectatur : unde est ut omnibus quae fuerint pariterque omnibus quae futura sint Deus adsit eaque praesentia intueatur. Quapropter futura sunt *convisa* potiusquam *praevisa* (1). At praestat ipsius Angelici verba exscribere :

pentes qu'il donnera à son âme, en conséquence de ce qui sera dans le corps qu'elle anime. Par conséquent, il connaît dans ces lois éternelles le dessein de Pierre à se promener et, comme Pierre ne prend ce dessein que pour se délasser et récréer son corps fatigué par le travail, Dieu connaît qu'il choisira le lieu le plus convenable pour le bien de son corps ; par conséquent, les traces du cerveau de Pierre alors ouvertes, lui ayant fait connaître l'avantage de sa galerie sur son jardin, Pierre la préfèrera, et Dieu le voit de toute éternité par la combinaison qu'il fait dans l'instant de toutes les suites des inclinaisons de nos âmes et des lois de la nature... » (*Réfutation par le raisonnement d'un livre intitulé : De l'Action de Dieu sur les créatures*. Paris, Osmont, 1714, in-12, p. 279-282.)

(1) Nusquam aliam explicandae praescientiae rationem D. Thomas excogitavit. Thomistae autem rigidiores eam ex decretis Dei determinantibus repetunt.

« Impossibile esset quod de contingentibus futuris scientiam haberet Deus *si cognosceret ea ut futura sunt.* Tunc autem aliquid cognoscitur ut futurum est, quando inter cognitionem cognoscentis et rei eventum invenitur ordo praeteriti ad futurum. Hic autem ordo non potest inveniri inter cognitionem divinam et quamcumque rem contingentem : sed semper ordo divinae cognitionis ad rem quamcumque est sicut ordo praesentis ad praesens. Quod quidem hoc modo intelligi potest :

« Si aliquis videret multos transeuntes per unam viam successive et hoc per aliquod tempus, in singulis partibus temporis videret praesentialiter aliquos transeuntes, ita quod in toto tempore suae visionis omnes transeuntes praesentialiter videret, nec tamen simul omnes praesentialiter, quia tempus suae visionis non est totum simul. Si autem sua visio tota simul posset existere, simul praesentialiter omnes videret, quamvis non omnes simul praesentialiter transirent. Unde cum visio divinae scientiae aeternitate mensuretur, quae est tota simul et tamen totum tempus includit nec alicui parti temporis deest, sequitur ut quidquid in tempore geritur non ut futurum sed ut praesens videat : hoc enim quod a Deo visum est, futurum est rei alteri cui succedit in tempore ; sed ipsi divinae visioni, *quae non in tempore sed extra tempus est,* non est futurum sed praesens. Ita ergo nos videmus futurum ut futurum, quia visioni nostrae futurum est, cum ipso tempore mensuretur, sed divinae visioni quae est extra tempus, futurum non est : sicut et aliter videt transeuntes ille qui est in ordine transeuntium, qui non videt nisi illos qui ante ipsum sunt, et

aliter ille qui extra ordinem transeuntium esset, qui omnes transeuntes simul inspiceret... (1) »

Quae quidem argumentatio multis displicuit (2). « *Futurum aeternitati coexistere,* inquit Durandus, *impossibile est, quia quod nihil est in se, nulli potest realiter et actualiter coexistere; coexistere enim praesupponit existere* (3). »

Istud autem argumentum ita solvi potest : Coexistere alicui in tempore, praesupponit quidem existere in eodem tempore ; coexistere vero alicui extra tempus existenti, praesupponit tantum existere in aliquo temporis spatio, quod aeternitate involvatur. Omnia autem temporis spatia, sive praeterita, sive futura, aeternitas, sive perpetuum praesens, complectitur. Nihil igitur repugnat quin res quae decurrente tempore jam interierit vel nondum sit, aeterno Deo coexistat.

Verum praescientiae explicandae rationem ab Aquinate traditam ut plurimum valere de rebus quae aliquando fient, ita nihil prodesse arbitror ubi agitur de iis quae reapse nec sunt neque unquam evenient, sed tamen, quadam conditione in actum deducta, eveniant (4). Haec propterea dicuntur *futura conditionata*

(1) S. Thom. de *Scientia Dei,* q. II, art. 12., cf. *Sum. th.*, 1, q. 14, art. 13. ; *Cont. gent.*, l. I, c. 67.

(2) Eam impugnaverunt D. Scotus, *in 1 Sent.*, d. 39 ; Durandus, *in* 1 *Sent.*, d. 38, q. 3 ; Greg. Arimin., Gabriel Biel, *in 1 Sent.*, d. 38, multique alii. Em. Card. Zigliara, Thomistarum hoc tempore facile princeps, eam *in manifestam incidere petitionem principii* arbitratur. (*Sum. phil.*, t. II, p. 450.)

(3) Durand, *in 1 Sent.*, d. 38 q. 3, p. 238.

(4) Horum scientiam Deo esse adjudicandam negat cl. Thomassinus, gallicano Oratorio adscriptus. (*Dogmat. theolog.*, Paris. 1684, in-fol., t. II, p. 491 seq.)

vel *conditionate futura*, ut quae ex aliqua conditione pendeant. Hujusmodi futura vel necessaria sunt vel contingentia, prout futurum fuisset ut effectus ex necessaria aut ex libera causa sequeretur ; ut : *Si Petrus per medium pectus gladio transfixus erit, morietur ;* aut : *Si Petrus bonis eversus erit, laqueo se suspendet.*

De futuris quidem quae ex causis necessariis eventura fuissent, non ambigitur : sunt enim in causis indubitate nota. Cetera vero futura conditionata quomodo a Deo cognoscantur, ardua quaestio est. Cum enim nullo unquam temporis momento exstitura sint, minime dici potest ipsa tanquam praesentia aeternitati Dei exhiberi. Concedendumne igitur Deum *in suis decretis determinantibus*, h. e. in sua voluntate concurrendi cum causis secundis, ista certo cognoscere ? Quod ut caveant, Molinistae ad *scientiam mediam* confugiunt, a P. Fonseca S. J. prius excogitatam.

Hujusmodi autem scientia ita nuncupata est, quia inter scientiam *visionis* et scientiam *simplicis intelligentiae* media intercedit. Multiplex enim in Deo distinguitur scientia. Quae sunt vel aliquando evenient dicitur Deus scientia visionis cognoscere, quia omnia sive praeterita sive futura tanquam praesentia uno intuitu contemplatur ; res vero quae nec fuerunt neque unquam fient, seu ut aiunt, res *mere possibiles* novit Deus scientia simplicis intelligentiae. Ad conditionate futura spectat scientia media, quam sic descripsit Molina : « *Scientia est qua Deus ex altissima et inscrutabili comprehensione cujusque liberi arbitrii, in sua essentia intuitus est quid pro sua innata libertate, si in hoc vel in illo, vel etiam infinitis rerum ordinibus*

collocaretur, acturum esset, cum tamen posset, si vellet, reipsa facere oppositum. Unde servato integro jure libertatis arbitrii creati, illaesaque omnino persistente contingentia rerum, non secus ac si in Deo nulla esset praescientia, Deus certissime cognoscit futura contingentia, non quidem certitudine quae proveniat ex objecto quod in se contingens est, potestque reipsa non evenire, sed certitudine quae proficiscitur ex altitudine atque infinita illimitataque perfectione cognoscentis, qui certo ex se ipso cognoscit objectum quod secundum se est incertum et fallax (1). »

Scientia media versatur circa conditionate futura, eaque omnia complectitur, sive quae aliquando existent, sive quæ nunquam e potentia ad actum deducentur. Valde autem Thomistis improbatur, quod sit inutilis gratisque conficta : si, aiunt illi, res quae ex conditione pendent eventurae sunt, ad scientiam visionis ; sin autem, ad scientiam simplicis intelligentiae pertinent ; quas inter scientias nihil est cur tertia sit interponenda.

Quam controversiam, ut quae verborum potius quam rerum sit, non libet expendere. Ad propositum autem magni interest inquirere num praeter decreta voluntatis suae qua constituat concursu suo res e conditione pendentes reipsa fieri, Deus in sua essentia certo cognoscat res quae nunquam exstiturae sint, etiamsi a causa libera fieri possint aut potuissent.

Id autem negari posse non censeo. Nulla enim omnino Deum latet veritas, qui proinde novit quaecumque existere possunt et quibus modis vel condi-

(1) Molina, *de Concordia*, q. 14, art. 13, dip. 51, p. 311 et 312.

tionibus fieri valeant. Quae facta sunt vel decursu temporis exstitura sunt, in seipsis a Deo tanquam praesentia prospiciuntur. De iis vero quae nunquam existent, scire debet (et quidem in sua essentia) Deus quibus conditionibus quibusve causis actu evenire possint. Si enim tantummodo sciret ea fieri posse seu in suo conceptu repugnantiam non involvere, totam *possibilitatem* eorum plane perfecteque exploratam non haberet.

Sit, e. g., haec propositio vera : *Si Petrus pecuniam satis magnam haberet, praedium emeret.* Hujus praedii emptio est aliquod *possibile* quod ad actum nunquam deveniet, quia, ut fingimus, Petro semper pecunia deerit. De isto autem possibili, Deum scire necesse est non modo rem esse in se possibilem (scilicet fieri posse ut praedium ematur), sed etiam causas conditionesque et circumstantias omnes quibus res fieret.

Hanc autem scientiam a voluntatis divinae decretis pendere quis dicat, cum in Deo nisi de iis quae certo eventura sint, decreta non concipiantur? Scientia ergo de conditionate futuris non ex Dei decretis, sed ex ejus essentia repetenda est.

Praeterea, quidquid existit, in mente divina quae omnium exemplaria eminenti modo continet, ab aeterno quasi praeformatum fuit (1) ; quumque res ulla existendi habuit initium, non ideo illius perfectior

(1) Cf. S. Thom. : « Deus alia a se videt non in seipsis, sed in seipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso. » (*Sum. theol.*, 1, q. 14, art. 5.) « Deus secundum essentiam suam est similitudo omnium rerum. Unde idea in Deo nihil aliud est quam Dei essentia. » (*Ibid.*, q. 15, art. 1, ad 3.)

evasit in Deo notitia. Ergo *existentia* rerum, quae una causa est cur decreta in Deo ponantur, per se ad scientiam divinam non spectat; fatendumque est Deum, praeter decreta sua, omnia intueri et perspecta habere prout existunt aut existent, vel *mere possibilia* sunt.

Animadvertere pretium est Leibnitium, quamvis ipse pro concursu immediato staret, optime vidisse futurorum contingentium scientiam a divinis decretis non pendere. Casus futuri conditionati, inquit, « *pars est mundi possibilis, qui a nostro dumtaxat differt in iis quae cum ista hypothesi connexa sunt, et possibilis istius mundi idea repraesentat quid eo casu futurum fuisset. Habemus igitur principium certae futurorum contingentium scientiae, sive haec actu eveniant, sive certa sub conditione eventura essent. Nam in regione possibilium repraesentantur uti sunt, hoc est, contingentia libera... Et quamvis verum esset, futura contingentia, in liberis creaturarum rationalium actionibus sita, nullatenus a decretis Dei, causisque suis externis dependere, non deforet tamen modus ea praevidendi: Deus enim ea videret, qualia sunt in regione possibilium antequam eorum existentiam decerneret* (1). »

Ex hucusque disputatis apparet nullam suppetere rationem cur concursus Dei immediatus nobis probari debeat. Nunc vero ad ea accedamus quae contra hujusmodi concursum disseruntur; ista quidem singillatim recensebimus, prout ad praemotionem physicam aut ad concursum simultaneum referuntur.

(1) Leibnitii *Tentamina Theodic.*, latine interpr. Aug.-Frid. Boeckius, Tubingae, 1771, in-8o, n. 42.

CAPUT TERTIUM

EXPONUNTUR ARGUMENTA CONTRA CONCURSUM IMMEDIATUM

§ I. — *Contra praemotionem physicam.*

I. Inutilem esse præmotionem.

Docet D. Thomas causis interpositis ad causam effectus proximam causae supremae virtutem deferri, sine cujus adjutorio iners permaneret; simulque quamlibet causam, sive inferiorem sive superiorem, immediate a Deo moveri. At nihil est cur duplex ista motio censeatur adhiberi; unam aut alteram satis esse arbitramur ut causa inferior virtute Dei agat.

Sed misso astrorum ceterarumque superiorum causarum ministerio, quod est omnino a Thomistis hujus temporis praetermissum, supervacuum videtur Deum ad quamlibet creaturarum operationem quasi in proscenium evocare. Substantiae enim propriis virtutibus instructae nihil deest ad agendum; et si quid amplius requiratur, nonne Deus istud ei cum procrearetur semel indidisse putandus est, potius quam,

quotiescumque ei agendum sit, ad defectus ejus supplendos intercurrere necesse habeat ?

II. Præmotione ad pantheismum viam muniri.

Thomistae existimant Deum secundasque causas non modo *simul*, sed etiam *unica actione* operari (1), ita ut causae creatae in societatem divinae operationis veniant. Vulgo autem creditur tot esse agentia diversa quot sint operationes numero distinctae, et vice versa unam adesse substantiam ubi una tantum operatio exerceatur (2). Inde pronum est inferre Dei et aliarum naturarum unicam esse substantiam, omniaque, in hac rerum universitate, esse in divina essentia fundata. Non alia nixi ratione professi erant Scotus Erigena, Amalricusque et eorum sequaces nihil praeter Deum reipsa existere : « *Cum audimus Deum omnia facere, nihil aliud debemus intelligere quam Deum in omnibus esse, hoc est essentiam omnium existere* (3). » « *Nullus philosophus*, inquit Campanella, *dixit quod actio causae secundae sit simul actio primae, nisi qui faciunt Deum animam mundi et partium omnium et hin omis simul, sic ut veluti actus manus meae est ab*

(1) Quam sententiam ipse secutus est Suarezius, quamvis praemotionem respuat.

(2) « Tres personae unica potentia creativa potientes in unam exeunt simul creationem, dicunturque unus creator. Deus autem et creatura sunt duo agentia participantia distinctas agendi virtutes ; ergo eorum actiones sunt distinctae. » (Columbus, *Phys.* vi, q. 3, art. 6 ; cf. Scot., *in 2 Sent.*, d. 37 ; Mayron., 1, d. 43, q. 4, et d. 44., q. 7.)

(3) Scot. Erig., *de divisione naturae*, l. 1, c. 72. De Amalrico vide cl. Hauréau, *Histoire de la philosophie scolastique*, 2e édit., t. I, part. 2, p. 85 seq.

anima et corpore meo simul, sic omnis actus sit a et a Deo creatura. »

Abhorrent quidem a pantheistarum placitis Thomistae eorumque Doctor Angelicus, et conantur ostendere quomodo unius operationis duae sint causae substantiis distinctae, at parum fausto successu. Etenim ut propositum assequantur, causas secundas instrumenti vices obtinere contendunt, ipsisque propriam veramque efficientiam ita denegant ut, postquam eos debellaverint qui res creatas vi effectrice destituerent, reipsa cum eis consentire jure censeantur. « *Ipsa naturae operatio est etiam operatio virtutis divinae, sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis* » (1). At inde alia jamjam videbimus sequi incommoda, nec scio an qui nodum ita solvant de calcaria in carbonariam perveniant.

III. Præmotione tolli arbitrii libertatem.

Forsan quidem parvi nostra refert utrum naturae corporeae propria vi polleant, an nihil quidquam nisi extrinsecus impulsae agant. Morum autem disciplinam a fundamento subverteris, si mentis humanae libertatem sustuleris, quae cum praemotione physica coire posse non videtur.

(1) « Illud quod movetur ab altero, dicitur cogi, si moveatur contra inclinationem propriam ; sed si moveatur ab alio quod ipsi dat propriam inclinationem, non dicitur cogi ; sicut grave cum movetur deorsum a generante, non cogitur. Sic igitur Deus movendo voluntatem non cogit ipsam, quia dat ei ejus propriam inclinationem. » (S. Thomas, *Sum. th.*, 1, q. 105, art. 4, ad 1.)

Quod si in eo sita esset arbitrii libertas, ut voluntas esset a quavis coactione immunis, jure et merito Thomistae dicerent nos ideo esse liberos, quod Deus, qui « disponit omnia suaviter », nos invitos non praemoveat. Verum ut sit aliquis vere liber, amplius requiritur ut pro sibi ingenita potestate se ipse determinet ad agendum, viresque suas huc et illuc pro libito inflectat, sitque proinde suarum operationum arbiter.

Posset quidem cum praemotione libertas conciliari, si Deus nos tantum per modum allicientis aut suadentis ad agendum excitaret, et in nostro arbitrio remaneret *moralem* Dei influxum sequi aut respuere. At illa quam propugnant Thomistae praemotio, *physica* est, voluntatemque creatam ita per se determinat, ut a quibusdam *praedeterminatio* nuncupetur, quasi Deus nostras in nobis electiones immediate efficiat, sitque vere ac proprie operationum nostrarum auctor et artifex, imo nec per nos possimus aliter velle quam Deus in nobis voluerit. Tanta enim praemotionis est vis et efficacia, ut ei reluctari aut non obsequi non possimus (1).

Ita fit ut quaecumque efficiamus, non possimus non agere, neque in nobis sit aliud quam ea quae reipsa facimus efficere ; non enim in potestate et arbitrio in-

(1) « Homo, ait ipse Angelicus, non potest virtute voluntatis sibi data uti, nisi in quantum agit in virtute Dei. Illud autem in cujus virtute agens agit est causa, non solum virtutis, sed etiam actus ; quod in artifice apparet in cujus virtute agit instrumentum, etiam quod ab hoc artifice propriam formam non accipit, sed solum ab ipso applicatur ad actum. Deus igitur est causa nobis, non solum voluntatis, sed etiam volendi », id est actuum voluntatis. (*Cont. Gent.*, l. 3, c. 89 ; cf. 1a 2ae, q. 9, art. 4.)

strumenti est, artificis motum non sequi aut ei obsistere.

Quod si res ita se habeant, quomodo actiones nostrae nobis pœnam aut praemium jure mereant non intelligo.

Thomistae quidem contendunt mentes creatas, modo quo dixi a Deo praemotas, integra frui libertate, imo per praemotionem ipsam liberas fieri ; at vereor ne libertatem quam verbis asserunt re sustulerint. Cum enim adversariorum argumenta solvere nituntur, id unum affirmant : eo libertati non officere praemotionem, quod eam Deus cujusque rei naturae ita accommodet, ut illa necessario agant quae libertate destituta ipse condiderit, libere autem operentur quas libero praeditas arbitrio voluerit : « *Deus est prima causa movens et naturales causas et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum, sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit ; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem* (1). »

Voluntas creata, inquiunt, etsi a Deo movetur et efficaciter determinatur, nihilominus se ipsa movet ac determinat ; libera igitur est, quoniam libertate fruitur qui se determinare potest. « *Homo sic movetur a Deo ut instrumentum, quod tamen non excluditur quin moveat se per liberum arbitrium* (2). » Voluntas autem

(1) S. Thomas, *Sum. th.*, 1, q. 83, art. 1 ; cf. 1, q. 19, art. 8 ; *in 2 Sent.*, d. 25, q. 1, a. 1, cf. *Opusc.* 2, cap. 129.

(2) S. Thom. *de Veritate*, q. 21, art. 1, ad 2 ; *Sum. th.*, 1, q. 105, art. 4, ad 3. — « Moveri voluntarie est moveri ex se, id est, a principio

una eademque determinatione qua determinatur a Deo, se ipsa determinat, ejusque actus simul a Deo et ab ipsa efficitur.

Verumtamen ista explicatione multum abest ut res expediatur. Praemotio enim cum non possit efficacia frustrari aut alio declinari, voluntati tantam necessitatem imponit, ut actionem ad quam exercendam impellatur omittere, aut influxum divinum ad aliam actionem inflectere non valeat. Imo non modo nihil efficiunt homines nec quidquam deliberando agitant, nisi quod Deus apud se ab aeterno et ineluctabili voluntate decrevit, verum etiam mens humana non nisi una indistinctaque actione qua a Deo determinatur, quidquam agere existimanda est. Ut autem quis sit vere liber ac sui juris, non satis est eum externi agentis impulsum libenter sequi, sed requiritur amplius ut ei pro libito obsistere et refragari possit; actionesque a voluntate vere libera non pendent, quas incipiendi, persequendi aut intermittendi potestas in ea non resideat.

Malebranchius haud inficete, demonstraturus scilicet praemotione physica id effici, ut voluntas neque libera sit, neque actorum rationem debeat, hominem primigenium qualem a principio Deus creaverit, sigillo cuidam assimulat, cujus caput corpori reliquo verticulae cujusdam ope post cervicem artificiose concinnatae, ita fuerit conjunctum, ut flecti quidem et annuere caput possit, sed ea conditione, si pulsetur

intrinseco ; sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco ; et sic moveri ex se non repugnat ei quod movetur ab alio. » (1, q. 105, art. 4, ad 2 ; cf. *de Malo*, q. 3, art. 2, ad 4.)

et extendatur manu lineus funiculus verticulae annexus qua quidem destinatum retineatur; unde fiat ut non sit penes ipsum sigillum si moveatur, sed penes eum qui funiculum attraxerit (1).

At enim necessitate quam fatentur Thomistae voluntati praemotione afferri, libertas non laeditur, ut quae sit tantum *consequens*. Duplex enim distinguitur necessitas : « *Est necessitas praecedens quae causa est ut res sit, et est necessitas sequens, quam res facit. Praecedens et efficiens necessitas est cum dicitur cœlum volvi, quia necesse est ut volvatur. Sequens vero et quae nihil efficit sed fit, est cum dico te ex necessitate loqui quia loqueris. Cum enim hoc dico, significo nihil facere posse ut dum loqueris non loquaris, non quod alius te cogat ad loquendum* (2). » Atqui, quotiescumque, praemovente Deo, operaris, necesse quidem est te agere, cum nihil, te agente, facere possit quin agas; verum hujusmodi necessitas non est absoluta, quia Deus sic te praemovet ut libenter agas et agere libere velis.

Verum ista explicatione se aliosque deludunt. Sane quamdiu loquor, fieri non potest ut simul loquar et taceam; libere tamen loquor, dummodo, quamdiu verba facio, penes me sit expedita pro arbitrio loquendi aut silendi facultas; quae cum praemotione esse nullo modo potest : a praemotione enim dissentire, nisi alia praemotione impulsi, non valemus. Quamvis igitur libenter agamus, per nos non stat

(1) MALEBRANCHE, *Réflexions sur la prémotion physique*, Paris, 1715; n. 12, p. 158 seq.
(2) S. ANSELMUS, *Cur Deus homo*, cap. XVII.

quin agamus vel ab agendo desistamus. Operationes nostrae necessariae quidem sunt necessitate consequente quae libertatem non tollit, at solummodo prout a Deo in nobis efficiuntur, cujus in arbitrio est ut exerceantur aut omittantur ; prout vero a nobis sunt, necessitati absolutae sunt obnoxiae, cum in nostra potestate non sit ut determinationes quas Deus in nobis operatur aut minime aut aliter fiant. Thomistae dicunt : *Movente Deo, potest aliter quam agit agere voluntas ;* quin potius dicunt : *Movente Deo, voluntas agit, sed fieri potest ut aliter operetur.* At in Dei solius, non voluntatis, arbitrio est ut ista aliter operetur.

Quae distinctio inter duplicem neccessitatis speciem, re idem est ac toties decantata inter *sensum compositum* et *sensum divisum* distinctio (1). Cum volumus, aiunt, hoc est in sensu composito, scilicet cum subest praemotioni voluntas, necessario volumus, quia in nostra potestate non est simul *velle* et *non velle* ; verum in sensu diviso, scilicet absente praemotione, *velle* et *non velle* in nostro arbitrio sunt. Contenduntque hac distinctione libertatem in tuto collocari ; verumtamen hic etiam verbis decipiuntur.

In hoc enim sita est libertas ut, *positis omnibus ad agendum requisitis,* agens operari aut non operari, aut etiam ab actione incepta desistere possit : hoc enim a

(1) « *In sensu composito* intelligenda est enuntiatio, cum attributum de subjecto non nisi aliqua proprietate affecto vel sub quadam hypothesi accepto, seu quatenus tale est, praedicari potest. *In sensu diviso*, cum ea proprietas vel hypothesis, removenda est ut enuntiatio veritate gaudeat. » (Signoriello, *Lexicon peripateticum*, Neapoli, 1872, in-8.)

necessaria causa agens liberum discriminatur. Cum autem praemotione physica ad agendum omnibus causis creatis maxime opus sit, libertas arbitrii postulat ut etiam in sensu composito, scilicet instante physica praemotione, possit non agere; quod thomisticae doctrinae repugnat.

Item, si absque praemotione nemo possit agere, voluntates creatae ne in sensu quidem diviso liberae sunt, nec sine cavillatione affirmantur *posse non operari*, rectius enim dicuntur *non posse operari*. Si Petrus, e. g., non possit nisi equo iter conficere, neque in ejus potestate sit ut equum habeat, quis dicat illum posse iter agere si velit, et per ipsum stare quin iter non agat?

Hac semel admissa distinctione, comprobari possit quaslibet causas esse libertate praeditas; nullam enim reperire est quae non pariter dicatur *posse non agere in sensu diviso*, scilicet si ab ea auferatur aliquod ex necessariis ad agendum. Sagitta, v. g., dum vulnerat militem, potest non vulnerare in sensu diviso, scilicet si in loricam recipiatur.

Non me fallit pauca admodum ex omnibus D. Thomae operibus desumpta afferri (1), quibus significari videatur voluntatem creatam per se solam determinari, et propter quae a quibusdam summa injuria vitupe-

(1) « Deus in libero arbitrio hoc modo agit ut virtutem agendi sibi ministret, et in ipso operante, liberum arbitrium agat. Sed tamen determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur. » (*In 2 Sent.*, d. 25, q. 1, ad 1.)

« Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem deter-

rentur Thomistae, quod Angelici auctoritate ad praemotionem statuendam prave abutantur.

Isti autem loci vel ita explicandi sunt, quasi voluntas se determinet ipsa praemotione qua a Deo excitatur et determinatur, vel dicendum est eos a mente et doctrina D. Thomae expressis verbis centies declarata, omnino discordare. Ut enim efficiatur determinatio quae ipsius esse propria hic dicitur, voluntas agit vel per se solam, vel altera praemotione applicata per quam priore utatur. Si prius concedatur, confitendum est aliquem esse voluntatis actum, ad quem divina motio non concurrat, et ad Durandi sententiam accedendum ; si posterius, oportebit alium voluntatis actum intervenire quo secunda praemotio in actionem exeat, fierique, ut aiunt, *regressus in infinitum*.

IV. Praemotione fieri Deum auctorem peccati.

Praemotione non modo creatam libertatem laedi, verum etiam summam Dei sanctitatem violari videtur. Etenim cum peccatum nihil aliud sit quam perversus voluntatis actus, voluntas autem, perinde ac reliquae causae, ne unum quidem elicere actum valeat quem Deus eam movendo et determinando non efficiat, fieri

minat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum. » (*Sum. theol.*, 1a 2ae, q. 9, art. 6, ad 3.)

« Sciendum est quod aliquis actus est ab aliquo dupliciter : uno modo tam secundum substantiam actus quam secundum determinationem agentis ad actum, et hoc proprie in potestate agentis esse dicitur, ut est in voluntate. Ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura ; sed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate. » (*In 2 Sent.*, d. 39, q. 1, a. 1.)

non potest quin ipse malorum auctor et causa peccati non habeatur : impium certe dictum quod nemo sanus excogitaverit !

Falsum sibi crimen objectari Thomistae indignantur, omnique ope et opera nituntur ut quam vocant calumniam depellant, comprobentque bonorum quidem actuum honestatem, minime vero scelerum nequitiam praemotioni esse referendam aut Deo adscribendam (1).

Quod ut evincant, in qualibet prava aut nefaria actione duo distinguunt, scilicet aliquid entis aut perfectionis, quod a Deo fieri volunt, et quamdam deformitatem in qua proprie culpa sita sit, et quam non Deo sed voluntati imputari jubent ; ita ut *actio* quidem *peccati* sit a Deo, peccatum autem seu actionis defectus et vitium non sit nisi a causa creata (2). « *Effectus causae secundae deficientis reducitur in causam primam non deficientem, quantum ad id quod habet entitatis et perfectionis, non autem quantum ad id quod habet de defectu... Quidquid est entitatis et actionis in actione mala, reducitur in Deum sicut in causam ; sed quod est ibi defectus, non causatur a Deo, sed a causa secunda deficiente* (3). »

Quomodo id fiat D. Thomas argumentis et exemplo, ut saepius solet, explicare tentavit. Sed praestat ipsum

(1) « Absolute dicendus est Deus causa bonorum operum, non vero peccatorum. » (S. Thom., *in 2 Sent.*, d. 37, q. 2, art. 2.)

(2) « Deus non determinat voluntatem nisi ad illud positivum quod est in actu peccati ; deformitas autem est in actu solum ex causa secunda. » (Soncinas, *Epitoma.*)

(3) S. Thom., *Sum. theol.*, 1., q. 49, art. 2, ad 2 ; cf. *in 2 Sent.*, d. 37, q. 2, a. 2.

audire, ne in re tam gravi tantique momenti, quas attulerit rationes explicationesque interpretando obscurasse aut extenuasse arguamur : « Motus primi moventis, inquit, non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum.... Cum aliquid est in debita dispositione ad recipiendum motionem primi moventis, consequitur actio perfecta, secundum intentionem primi moventis. Sed si non sit in debita dispositione et aptitudine ad recipiendum motionem primi moventis, sequitur actio imperfecta ; et tunc id quod est ibi actionis reducitur in primum movens sicut in causam, quia talis defectus consequitur in actione ex hoc quod agens deficit ab ordine primi moventis, sicut quidquid est de motu in claudicatione est ex virtute motiva animalis ; sed quidquid est ibi de defectu non est a virtute motiva, sed a tibia secundum quod deficit ab opportunitate mobilitatis a virtute motiva. Sic ergo dicendum quod cum Deus sit primum principium motionis omnium, quaedam sic moventur ab ipso quod etiam ipsa seipsa movent, sicut quae habent liberum arbitrium. Quae si fuerint in debita dispositione et ordine debito ad recipiendum motionem qua moventur a Deo, sequentur bonae actiones quae totaliter reducuntur in Deum sicut in causam. Si autem deficiant ab ordine debito, sequetur actio inordinata quae est actio peccati. Et sic id quod est ibi de actione, reducetur in Deum sicut in causam ; quod autem est ibi de inordinatione vel deformitate non habet Deum causam, sed solum liberum arbitrium (1). »

(1) S. Thom., *de Malo*, q. 3, art. 2.

Ista, fateor, acute subtiliterque disseruntur, dicam tamen quod sentio. Videntur Thomistae duo perperam miscere et implicare quae tamen accurate sunt secernenda. Malum quidem quod vulgo *metaphysicum* nuncupatur, nihil aliud est quam majoris excellentiae privatio, et in qualibet re creata reperitur, quia nulla est cui non desit summa perfectio, aut qua excellentior omnino fingi non possit : non igitur inquirendum est quisnam sit hujus mali auctor, quia quod non est nisi *defectus* non habet causam efficientem. Longe aliter vero dicendum est de malo *culpae* seu peccato ; istud enim causa et actione efficitur. Culpa quidem per se et, ut loqui amant, *formaliter* non est facinus corporis ministerio perpetratum, sed internus voluntatis actus legem jure sibi impositam detrectantis. Cum latro, e. g., viatorem trucidat, non in morte illata situm est crimen, nam jure nocentes et hostes aliquando interficiuntur, sed in ipso voluntatis proposito, quo quis sui vere compos immerito necem alteri inferre statuit.

Id autem propositum, cum sit voluntatis actus, a Deo, si Thomistarum doctrina standum sit, in ipsa voluntate peragitur ; Deus igitur auctor peccati habendus est. Eodem modo intra voluntatem cogitantur facinus egregium nefariumque scelus ; et utriusque Deus, si modo omnes et singulos voluntatis actus operetur, auctor est et causa primaria. Frustra ergo quaeritur causa quae etsi actum effecerit, ejus tamen deformitatem pariter simulque non effecerit (1).

(1) Hic libet audire Campanellam : « Non vident Pseudothomistae (sic enim, nec sine injuria vocat D. Thomae asseclas) quod ipsorum opinio implicat contradictionem, dum aiunt a Deo praedeterminari

Quod evidentius elucebit, si de iis actibus sermonem instituerimus qui dicuntur *intrinsece* aut *essentialiter mali*, quibus scilicet ita adnexa est malitia, ut nullo pacto nullisve rerum adjunctis separari possit, cujusmodi sunt mendacium, adulterium, et odium Dei (1).

At enim aliquis subjecerit, « *deformitas peccati nullo modo cadit sub voluntate divina, sed consequitur ex hoc quod liberum arbitrium recedit ab ordine voluntatis divinae* (2)? » Optime sane ; verum quomodo possit *recedere* liberum arbitrium nisi per aliquem

hominis voluntatem ad hunc actum et ad hanc volitionem, non in communi sed individuatum et singularizatum, et agere in causam et cum causa simul; et simul concurrere ad actum peccaminosum, sed non ut peccaminosus, sed ut actus est. » (*De Praedestinatione*, Paris, 1636, in-4, p. 250.) Fr. Mayronis, unus e Scotistis, fatetur Deum, cum sit actus nefarii « quantum *ad substratum* » causa, eo ipso fieri peccati seu malitiae auctorem. Omnibus tamen nervis nititur ut comprobet Deum posse peccati esse causam, nec tamen peccare. (*In 1 Sent.*, d. 43, q. 7.)

(1) « Omnis defectus culpabilis, inquit Durandus, imputatur agenti producenti et habenti super actum dominium et non ignoranti defectum. Si ergo Deus immediate causet actum hujusmodi adulterii, cum non agat ex necessitate naturae sed libere, habens plenum dominium actus, neque ignoret defectum adjunctum, non video quin ipsi debeat ad culpam imputari sicut homini, vel magis quam homini cujus ignorantia potest eum quandoque totaliter excusare vel culpam alleviare. Item quando duo sunt conjuncta inseparabiliter, quicumque sciens utrumque eligit unum, eligit et alterum, quia etsi illud non absolute eligeret quia malum, ex quo tamen conjunctum est ei quod vult nec separari potest ab eo, necesse est quod utrumque velit, sicut patet in voluntariis mixtis, cum aliquis projicit merces in mare ut salvetur, quas tamen secundum se non vellet projicere. Cum igitur Deus non ignoret defectum conjunctum actui, si vult unum, vult et alterum, etc. » (Durand., *In 2 Sent.*, d. 37, q. 1.)

(2) S. Thom., *de Malo*, q. 3, a. 1, ad 1.

actum, non video. Quem quidem actum, qui proprie peccatum est, si per seipsam operatur libera voluntas, confitearis necesse est quasdam saltem fieri actiones ad quas immediate Deus non concurrat. Sin autem ad eum quoque actum requiratur praemotio divina, concedendum est Deum esse illius causam effectricem, peccatique labem summae Sanctitati esse inurendam !

Similitudo vero quam e claudicatione D. Thomas deduxit, nihil ad propositum valet, nisi, quod sane Thomistae omnes profitentur, voluntas instrumenti loca habenda sit, et vitiosa voluntatis affectio ex qua oriatur operationum deformitas, sit habitus quidam seu *qualitas permanens.*

His positis, sic argumentari licet : Hujusmodi habitus vel voluntati congenitus est, vel repetitis actibus ab ea comparatus. Si prius, scelera omnia quibus perpetrandis aut excogitandis causa est, in ipsum voluntatis creatorem redundant, imo ipsi soli sunt imputanda, nec voluntati cujus in libera electione vitiosus habitus non fuit, magis crimini vertenda sunt quam claudicatio ei qui distortis pedibus natus est. Si posterius, non magis illaesa remanebit sanctitas divina, nisi confessus eris actus quibus iteratis pravus habitus effectus sit, non fuisse, Deo praemovente, elicitos.

Praeterea si, quod volunt, vitiosa affectio in stabili quodam habitu sita sit, non videmus qui fieri possit ut eadem causa modo rectae, modo pravae actiones exerceantur. Ut enim qui tortis incedit pedibus nunquam non claudicat, ita una eademque voluntas prave affecta et divino influxu praemota in actus pari malitia vitiatos

semper erumpet, nisi Durando concesseris ideo modo egregias, modo nefarias actiones ab ea provenire, quod modo prave, modo recte et quidem nulla praemotione operetur.

Demum, si instrumenti instar, voluntas perverse affecta a Deo immediate moveatur, scelera ejus ad Deum ipsum referantur necesse est. Qui enim sciens volensque vitioso utitur instrumento, si quid inde mali acciderit, crimini jure fiet obnoxius.

§ II. — *Contra concursum simultaneum.*

Plerisque ab argumentis quibus impetitur praemotio physica tutus quidem est concursus simultaneus, materiam tamen et ipse criminibus praebere existimandus est. Qui Scoti Molinaeve sectam secuti sunt libenter laudo quod cuique naturae propriam vim et substantiam optimis argumentis asseruerunt, libertatique arbitrii satis consuluerunt. Verum vehementer timeo ne omnium quae his in terris admittantur scelerum Deum in consortium adsciscant.

Sane cum ad pravas actiones Molinistae velint res creatas non nisi generali et indifferente influxu adjuvari, quem determinando pro sua natura aut voluntate accommodent (1), non sine injuria dixeris eos inducere Deum per se malorum auctorem et causam

(1) « Eodem numero concursu Dei posse indifferenter produci actum virtutis moraliter bonum et vitii seu peccati, neque alium concursum Dei requiri ut producatur actus virtutis et ut producatur actus peccati. » (Molina, *de Concordia*, q. 14, art. 13, disp. 32 et 33.)

peccati. Ex eorum tamen sententia recte colligendum est Deum non ideo esse ab omni noxa immunem, ut qui ad scelera omnia quae admittant homines auxilium sciens volensque conferat, quo deficiente nullo pacto perpetrarentur. Etenim ille culpa vacare non existimandus est qui, quamvis ipse non furetur, latroni tamen scalam suppeditet qua sciat eum ad rem perventurum quam subripere sibi constituerit (1).

Quo quidem argumento gravius forsan urgentur Scotistae, qui dicunt ad omnes et singulos voluntatis actus Deum non generali modo, sed etiam peculiari et determinato influxu concurrere.

His addendum est quod concursu simultaneo id effici non videtur propter quod excogitatus est. Ea enim praecipua causa fuit cur ad hujusmodi concursum confugerint, quod ipsis non satis a suprema Dei potestate res creatae in agendo pendere viderentur, si mediato tantum influxu adjuvarentur. Si vero res, uti Scotistae Molinistaeque volunt, se habeant, effectum quidem a Deo pendere fatemur, sine cujus opera omnino fieri non possit ; causam vero ipsam et vires quas agendo exserit quomodo a causa prima pendeant, quae eas nullo modo moveat et applicet, non intelligo. Qui enim causa secunda in effectae rei consortium venit ? Per actum sane, ad quem Deus nihil confert,

(1) Nec nodum solvit Suarezius : « Deus, inquit, simpliciter non vult actum malum, nec determinat aut trahit voluntatem creatam ad exercitium ejus, sed solum affert illi concursum quo influit in actum voluntatis creatae dum ipsa elicit illum. » (*Metaphys.*, d. XXII, p. 833.)

cum dicatur in effectum ipsum, minime vero in causam ejus agere (1).

Neque intellectu facile est quomodo unus idemque effectus simul totus a duabus causis totusque a qualibet causa concurrente fiat ; idque minus etiam intelligitur, si iis standum sit quae de natura actionis Scholastici tenuerint. Recte igitur Durandus : « *Actiones,* inquit, *videntur esse idem realiter cum suis terminis, unde et ab illis sumunt denominationem. Impossibile est ergo ad acquirendam unam formam numero* (h. e. ad producendum unum eumdemque effectum) *esse diversas actiones* (2). » Proinde ubi unus effectus oritur, ibi unam tantum adesse causam putandum est. Thomistae quidem, ut supra dictum est, objectum istud declinant dicentes unam actionem a duabus causis fieri posse, dummodo ita sint inter se connexae ut una ab altera pendeat et instrumenti instar moveatur. Molinistis autem, qui unius effectus duas adesse causas seorsum et quasi ex latere agentes asseverent, quarum neutra in alteram influat, idem non suppetere effugium jam manifestum est. Frustra igitur Molina contendit a qualibet causa non partem tantum effectus sed etiam totum effectum fieri : « *Causa prima et causa secunda,* inquit, *partiales sunt partialitate causae,*

(1) Quapropter non sine causa Boursier, unus e praecipuis praemotionis physicae assertoribus, ait : « Toutes les raisons qui portent à admettre un concours, portent aussi à l'admettre prédéterminant, et toutes celles qui détournent d'admettre un concours prédéterminant, détournent aussi d'admettre aucun concours ; ainsi il paraîtrait plus raisonnable de n'en point admettre, ou de l'admettre tel que nous le soutenons. » (*L'Action de Dieu*, p. 36.)

(2) *In 2 Sent.*, d.1, q. 5, n. 14.

non vero partialitate effectus. Totus quippe effectus et a Deo est et a causis secundis, sed neque a Deo neque a causis secundis ut a tota causa, sed ut a parte causae quae simul exigit concursum et influxum alterius ; non secus ac cum duo trahunt navim, totus motus proficiscitur ab unoquoque trahentium, sed non tanquam a tota causa motus, siquidem quivis eorum simul efficit cum altero omnes ac singulas partes ejusdem motus (1). »

Res autem longe aliter se habere physicis omnibus jam exploratum est. Motus enim non totus a qualibet causa concurrente generatur, sed singulis moventibus causis singulae partes motus adscribendae videntur. Cum a duobus, v. g. trahitur 200 librarum pondus, unusquisque non integrum trahit onus (seu 200 libras), sed quamdam ejus partem tantum ; ita ut si unus 199, 198, vel 100 libras loco moveat, 1, 2, vel 100 librae alteri sint movendae, et laboris summa, quo molis reluctantis virtus a duobus moventibus superetur, 200 libris nec superior neque inferior existat.

Verum si quilibet partem effectus viribus suis accommodatam peragit, cur etiam alterius auxilio destitutus, non possit per se solum peragere effectum qui non sit major parte quam per se produxit in effectu priore qui a duobus factus sit ? Nonne videmus eum qui 200 libras nisi alterius collatis viribus evehere nequeat, per se unum 100 libras facile sustinere ? Cur, quaeso, de re creata cum causa prima concurrente non idem sit tenendum ? Si quoties cum causa prima concurrat, quidquam in effectum infundit, per

(1) Molina, *de Concordia*, q. 14, art. 13, disp. 26, p. 158.

se sane et propria vi effectum potest peragere qui non sit efficacia superior qua cum causa prima prius agebat.

Intelligitur demum fieri quidem posse ut singulorum simul agentium influxus in effectum eorum duntaxat recipiantur, neque alterum in alterum agat, dummodo effectus iste extra utramque causam fiat, ut cum duo homines trahunt navem. Nunquam vero id esse concedendum putamus, cum effectus in causa fit neque ab ea reapse distinguitur ; quod saepius evenit, ut scilicet quoties voluntas intra se ipsam operatur quin effectus exterius prodeat, remque sibi constituit intra se peragendam. Propositum voluntatis ab ipsa non est distinctum, neque ab actu quo ei adhaeret separabile est ; quare non videtur fieri posse ut ad hoc propositum efformandum concurrat Deus, nisi voluntatem ipsam moveat.

Quibus de causis arbitror media inter D. Thomam Durandumque via incedi non posse ; illis igitur qui praemotioni refragantur, Deum concursu duntaxat mediato cum causis creatis operari confitendum est.

CAPUT QUARTUM

EXPONUNTUR ARGUMENTA PRO DURANDI SENTENTIA

Jam compertum nobis est, eorum qui concursu Dei immediato omnia in hac rerum natura fieri opinentur placita non satis probabilibus argumentis confirmari, imo iis multa objecta esse quae nullo pacto dissolvi queant. Colligere igitur jam licet ita res se habere ut Durando visum est, Deum scilicet rebus creatis vires indidisse quibus per se solas operentur, neque eas virtutis divinae consortio indigere. Ea enim omnia quae nos ab amplectendis ceterorum doctrinis deterrent, eadem quasi Durando suffragantur, et quaecumque sibi invicem Thomistae et Scotistae aut Molinistae criminantur, quasi totidem argumenta sunt quibus Durandi sententia confirmatur. Nunc lubet ad illum accedere, et quibusnam rationibus sententiam suffulserit, aut quomodo impactas sibi criminationes ipse diluerit, sciscitari.

Ista autem potissimum ratione illius nititur argumentatio : Si Deus immediate procrearet omnia, actio creaturae superflueret ; hoc autem est inconveniens. Imo si res sociatis Dei causaeque secundae viribus

producerentur, Deus aut eadem aut alia actione atque ipsa causa secunda operaretur : neutrum vero concedendum est.

Non prius : actio enim de qua inquirimus, ut quae supponatur intra naturalis ordinis limites contineri, rei creatae virtutem non excedit, quae propterea ei eliciendae sufficit ; frustra ergo adhiberetur principium aliud eamdem actionem eliciens (1).

Huc accedit quod una eademque actio a duobus vel pluribus agentibus immediate perfecteque fieri non possit, nisi in illis una insit eademque virtus. Deum autem et res creatas una eademque virtute simul operari nemo dixerit qui Dei rerumque finitarum unam esse naturam substantiamve non sit arbitratus.

Quod quidem ut refellerent Thomistae, causas secundas instrumentorum instar a Deo ita moveri dixerunt ut ab eis veram efficaciam abstulerint. Molinistis autem qui Dei agentisque creati vires in unum coire volunt effectum, qui totus simul ab unaquaque causa, prima scilicet et secunda, existat, nihil superest quo se tueantur. « *Contingit,* inquit Noster, *eamdem actionem numero esse duorum immediate, sed a neutro perfecte, ut cum duo trahunt navem, vel duae candelae causant unum lumen, quia a neutro est perfecte tractus navis, et a neutra candela est per se et perfecte illuminatio aeris ; in talibus enim duo agentia imperfecta supplent vicem unius agentis perfecti. Si autem actio sit immediate et perfecte a quolibet, non apparet modus*

(1) Ut ceteri Scholastici, ita Durandus hic arbitratur actionem extra causam agentem fieri, neque ab effectu nisi mentis operatione distinctam esse.

possibilis, nisi in utroque eorum sit idem principium vel eadem virtus numero. »

Nec magis verisimile est, Deum et causam secundam actione diversa in eumdem effectum influere. Duae enim actiones vel simul, vel una post alteram fierent. Si quidem una causa prior operaretur, rem totam conficeret, nec quidquam relinqueretur alteri efficiendum ; sin autem ambae simul causae agerent, supervacua esset unius opera, cum alterius actio rei gerendae omnino sufficeret (1).

Ea etiam quae de concurrendi modo rerumque efficiendarum ratione ab adversariis ferebantur, Durandus excussit. Cujus argumentationem, cum, propter librorum ejus penuriam, paucis hodie sit ad manum, liceat ad verbum exscribere :

« Quidam, inquit, dicunt effectus fieri a Deo in quantum habent *esse*, a creatura autem in quantum habent *esse determinatum*; quod nituntur sic probare :

« Nullius rei totum esse sumit principium ab aliqua creatura, cum ad esse rei faciat materia quae a solo Deo creatur. Ad distinctionem autem esse, nihil facit materia, sed solum forma quam creatura in praesuppositam materiam inducit. Ex hoc sic : Deus creans materiam operatur immediate ad esse rei, creatura autem dans formam, ad esse distinctum. Esse autem

(1) Haec quoque Durando erant argumento : « Ordo agentium correspondet ordini finium ; sed unius rei non possunt esse duo fines immediati et perfecti ; ergo nec duo agentia, nisi forte supplerent vicem unius agentis modo quo dictum est de trahentibus navem, quia consimiliter possunt esse duo fines. » Qui autem Deum concursu immediato cum rebus creatis operari arbitrantur, a qualibet causa totum prodire effectum volunt.

est magis intimum rei quam ea per quae terminatur ; unde remanet aliis remotis. Ergo in omni re Deus est etiam intimius et immediatius operans quam aliqua creatura. »

Ista autem ad propositam quaestionem non pertinere, falsaque inniti ratione animadvertit Durandus :

« Aliud est dicere quod Deus producat immediate aliquid quod est in creatura, scilicet materiam quae est altera pars substantiae compositae (quod utique verum est, nec hoc quaerit quaestio) ; aliud est dicere quod Deus immediate producat omne illud quod producit creatura. Cum enim actio creaturae attingat formam ut terminum suae actionis et non materiam (ut ipsimet dicunt), quaerimus utrum ipsam formam rei naturalis ad quam immediate attingit actio creaturae, attingat etiam necessario actio Dei immediate. Ipsi autem pertractant primum et non secundum, ut patet ex medio quod adducunt, et ideo non est ad propositum.

« Assumunt etiam falsum. Quod enim dicunt quod esse intimius est rei quam quae ipsam determinant, si intelligitur quod *esse in potentia* est intimius rei quam *esse in actu*, per quod determinatur, falsum est. Sicut enim per formam quaelibet res est verius id quod est quam per materiam (ut dicitur II *Physic.*), sic esse in actu est verius et intimius rei quam esse in potentia. Si autem intelligatur quod *esse actuale* in sua communitate sumptum intimius est rei quam ea per quae determinatur *ad hoc esse* vel *illud*, quod est *esse vivens* vel *intelligens*, tunc variatur propositum, ut de se patet. Quod etiam non videtur verum ; quia quae penitus sunt idem, unum non est intimius rei. Sed *esse* et *determinatum esse* sunt idem : « *Vivere enim*

in viventibus est esse » ; ergo unum non est rei intimius quam alterum, loquendo realiter. Secundum rationem tamen, *esse in communi* intimius est rei quam perfectiones determinantes ipsam ; et secundum intellectum nostrum, prius advenit et posterius recedit. Separatur enim secundum rationem ab aliis, quia communius est, ut in praeallegata propositione dicitur. Sed ex hoc non potest haberi quod Deus immediatius operetur in omni re quam aliqua creatura, imo nec quod operetur immediate, quia universalia non fiunt nisi factione singularium, et ideo res non sunt ab aliquo in quantum habent esse, nisi quia sunt ab eodem in quantum habent determinatum esse ; cujus oppositum pro conclusione ponit haec opinio. »

Hic, ut plerumque solet, iis adversatur Durandus qui res inter se conjunctas et implicatas, imo unius rei partes aut proprietates ita philosophantes discernebant, ut eas non mente solum aut cogitatione a se invicem abstractas, sed reapse diversas separatimque existentes existimarent. Quibus profligatis, ad eos se convertit qui Deum generali et indeterminato quodam influxu causas creatas adjuvare credebant, docebantque effectus a Deo quidem proficisci totos, « *immediate, non tamen totaliter, h. e. non secundum omnem modum.* »

« Quod declarant, ait, quia, ut dicunt, Deus agit uniformiter in omnibus rebus quantum est de se, ita quod tota diversitas in effectibus est ex diversitate recipientium influentiam divinam propter diversitatem suarum naturarum. Et ideo effectus, ex ea parte qua sunt ex causis secundis, habent distinctionem, et non ex parte Dei. Sic igitur res in quantum sunt, a Deo sunt, quia in hoc non distinguuntur ; in quantum autem habent

esse distinctum, sunt a causis secundis, per quas distinguuntur. Verbi gratia, in re vivente, idem penitus est *vivere* et *esse*, et ideo totum est immediate a Deo et totum immediate a secundo agente, sed non eodem modo; quia ex parte ipsius *esse* non est distinctio in rebus, sed per *vivere* distinguitur una res ab alia; propter quod Deus dat *esse* et *vivere*, sed solum sub ratione ipsius *esse* in quo nihil distinguitur; creatura vero dat totum illud sub ratione qua est *vivere*, ex parte cujus est in rebus distinctio. Pro hac autem opinione videtur esse dictum Aristotelis (II *Physic.*, cap. *de Causis*), ubi dicit quod effectus particularis reducitur in causam particularem, et universalis in universalem; sed *esse* est universalissimus effectus, ergo reduci debet in causam universalem quae est Deus; vivere autem cum sit effectus particularis debet reduci in causam secundam particularem, ut rationes effectuum correspondeant rationibus causarum. »

Isti non consentit Noster argumento, quod male conclusum ita ostendit : « Haec opinio deficit et in se et in sua ratione.

« Quod enim dicit quod Deus uniformiter agit in omnibus, nec est diversitas in rebus nisi ex causis secundis, falsum est, quia secundum hoc impossibile esset quod plura et distincta fierent a Deo sine causis secundis, et ita Deus non posset diversa creare; quod est falsum.

« Item agere semper uniformiter et nullo modo difformiter, est conditio agentis naturalis et non voluntarii. Dicere ergo quod Deus, quantum est ex parte ejus, semper agat uniformiter et nullo modo difformiter,

est idem ac si diceretur quod Deus agit ex necessitate naturae et non ex libera voluntate; quod est falsum.

« Ratio etiam per quam probant suum propositum, non valet. Quod enim assumunt quod effectus particularis reducitur in causam particularem et universalis in universalem, est intelligendum de particulari et universali per praedicationem consimiliter in causa et effectu, ut patet per exempla quae ponit ibidem Philosophus, ut statuae quidam statuam faciens, hic autem hujus, ita quod sicut non est aliud re *statua* et *haec statua*, sed ratione tantum, sic non reducuntur in causas diversas re sed tantum ratione, quae sunt *statuifica* et *haec statuifica*. Et similiter in proposito, cum *esse* et *vivere* in eodem differant solum ratione, reduci debent in causas differentes solum ratione, ita quod solum est una causa re quae dat *esse* et *vivere* immediate, sed sub diversis rationibus : *esse* quidem, in quantum ipsa est ens actu, et aliud solum in potentia, *vivere* vero, in quantum est vivens actu et aliud vivens in potentia. Semper enim quod est *tale* in potentia fit ab eo quod est actu tale, et ita non oportet quod *esse* et *vivere* in eodem secundum rationes eorum differentes reducantur immediate in causas realiter diversas, puta *vivere* in causam secundam, *esse* autem in causam primam quae est Deus (1). »

Ea quidem sunt summa disserendi prudentia et gravitate disputata; verum ejusmodi sunt, ut licet dissipandis adversariorum commentis maxime idonea sint, nos tamen minus moveant, qui Scholae placitis aut

(1) Durand, *in Sentent.*, l. II, d. 1, q. 5, p. 292 seq. Cf. Aristot., *Phys.*, l. II, cap. 3, circa finem.

doctrinis parum simus addicti. Quare animadvertere juvat eos qui Durandi sententiam postea amplexi sint, cum immediatum concursum tollerent, potius curam impendisse ut omnibus comprobarent quae ex eo consequantur, ea cum humanae libertati, tum doctrinae morum esse exitiosa.

Nec deest copia rationum quibus ad Durando assentiendum inducamur.

Primum omnium, ea est illius sententia, quae majore in supremam Dei potentiam admiratione et reverentia homines percellat. Etenim quo magis ad perfectionem accedit effectus, eo magis elucet causae virtus et solertia. Si vero, ut Durandi adversariis placet, Deus rem creare non possit quae per se quidquam operetur quin extrinsecus moveatur et adjuvetur, minus sane posse putetur quam vult Durandus : iste enim res docet ita esse a Deo perfectas et absolutas, ut per se solas congruentes naturae suae actiones operari queant. Finge duos scribendi magistros, quorum alter id tantum valeat, ut puerorum apprehensa manu litteras describat, alter vero pueros per se scribentes exhibeat, uter utri anteponendus censebitur? Priori vero Deum tantum non assimulare ii videntur qui eum omnium actionum in consortium advocant, parumque abest quin eorum sententias iisdem fere vitiis laborare existimem atque eam opinionem quam *causarum occasionalium* nomine merito reprehendunt.

Multo autem solertior reputabitur artifex, si machinam fabricaverit quae motu spontaneo effectum exhibeat, quam si ipse machinam propria manu moveat aut cum ea nunquam desinat operari. Si quis, v. g., artifex rotas dentatas magnitudine et figura diversas

conseruerit, iisque tabulam horarum acu transversa munitam adjunxerit, ipse vero ad horas indicandas post machinam latere manuque acum movere debeat, num tam peritus habebitur quam qui machinam ita absolverit út proprio illius motu versetur acus?

Aut si quis horologium machinari valeat quod sponte et motu suo agatur, cursu nunquam intermisso, nonne solertior habendus sit, quam si, quemadmodum unus e multis, horologium conficiat quod, certo tempore interposito, desinat moveri et quasi gressum comprimat, nisi cujusdam clavis ad movendum idoneae adhibeas ministerium, impulsu externo machinam rursum agitaturus ?

Item divinae providentiae major per Durandi sententiam veneratio conciliatur. « *Ad dignitatem regentis,* inquit D. Thomas, *pertinet ut habeat multos ministros et diversos sui regiminis executores, quia tanto altius et magis suum dominium ostendetur quanto plures in diversis gradibus ei subduntur* (1). » Tunc vero per ministros elucet regentis potentia et dignitas, cum potestate semel concessa illius mandata exsequuntur, neque ipsé ad negotia quaeque gerenda ubique intercedere necesse habet, ut arbitrantur qui tenent Deum ad omnes et singulos creaturarum actus immediate concurrere.

Sic tamen major causis secundis a Durando asseritur perfectio, ut nihilo minus ex Dei voluntate pendeant. Quaecumque enim ipsis a Conditore semel indita sunt, in ejus potestate remanent, nec durare aut in actus prorumpere valent, nisi quamdiu ille

(1) S. THOMAS, *Cont. Gent.*, l. III, c, 77.

voluerit. Rem igitur virtutibus ad agendum idoneis a Deo semel instructam, quasi filio familias similem dixerim, qui a patre decies centena millia dono semel acceperit, quae sibi pro donantis arbitrio nunquam non auferri possint. Divitior quidem iste est, nec tamen minus est patri obnoxius quam si ipsi quae vitae ad usum pertineant quotidie pater largiretur.

Scholasticis ne in mentem quidem venit illa vis qua inter physicae recentioris peritos constat corpus quodcumque, si alia re fuerit impulsum, contra moventis impetum pro molis quantitate reluctari ; neque animadverterunt illi ex iisdem causis varios, pro diversa corporum quibus movendis adhibeantur natura, effectus prodire, ut si pari nisu lapidi aut ferreae incudi malleum impegeris. Recentiores autem persuasum habent *reactionem* quam vocant, esse impellentis corporis actioni aequalem, corporibusque duobus in adversum nitentibus et collidentibus, eo cujus vis major sit, alterum loco moveri suo, vimque prioris ita quasi dividi ut pars ad alterius renisum superandum, parsque reliqua ad motum ipsum efficiendum conferatur. Quaecumque autem in corporea natura fiunt, ea demum ad quosdam motus reducuntur, quibus res eo quem prius obtinuerint loco cedant aut expellantur.

Ex quo intelligitur quemlibet effectum ideo produci quod causa quaedam alterius causae renitentis vires superaverit. Qui autem Deus cum duabus causis sibi invicem resistentibus simul concurrat, minime intelligitur, nisi sibi ipsi duplici quadam actione possit resistere ac reluctari.

At enim, cum utraque causa renitente concurrit, non continuo sibimet obsistere putandus est : indeter-

minato enim dumtaxat influxu concurrit, quem pro suo quaeque modo aut arbitrio causae secundae ad constitutum sibi finem determinando accommodent. Si quae igitur causae, ut sibi invicem resistant, hujusmodi influxu utantur, earum colluctatio aut divini influxus determinatio ab ipsis quidem, minime vero a Deo peragitur.

Haec qui dixerit, timeo ne parum profecerit. Finge enim tibi duos athletas, Entellum et Milonem, in palaestra viribus ita contendentes, ut prior alterum ad terram dejiciat. Quaenam vero causa est cur Entellus victor existat? Cum ex se indifferens dicatur divinus concursus, fieri non potest ut virtus uni efficacior quam alteri infundatur, nisi velis influxum divinum, prout in causas majore vel minore facultate praeditas recipiatur, ita determinari (1), ut si Entello robustius quam adversario corpus natura obtigerit, magis a Deo adjuvetur. Quod tamen non sine gravi quodam incommodo asseveraveris.

Influxus enim divinus cum sit per se efficax, nec possit effectu suo fraudari, nunquam eveniet ut robustior ab infirmiore prosterni se patiatur, quod nihilominus aliquando fieri videmus. Dicendum igitur, eodem concursu, si modo sit, non omnes pariter causas juvari, sed prout majore minoreve conamine nitantur. Hujusmodi vero conatus, si non tempore, cogitatione saltem

(1) Vulgatum est apud Scholasticos istud effatum : *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*. Quod hoc exemplo explicatur : Magister omnes discipulos eadem opera edocet, verum non omnes aeque doctrina imbuuntur, sed quisque pro ingenii sui modulo. (Cf. SIGNORIELLO, *Lexicon*, p. 298.)

et ordine quemvis influxum divinum antecedere putandus est. Confitearis ergo necesse est quasdam perfici operationes, conamina scilicet, quae a conjunctis Dei causarumque finitarum viribus non proveniant.

Quod si ad ea respexeris quae de actione a recentioribus tradantur, plura reperies quae Durandi sententiae patrocinari sanè videantur.

Superius explicatum est quibus potissimum rationibus arbitrati sint Scholastici actiones extra effectrices causas fieri, nullamque rem creatam esse quae propria vi moveatur.

Nos autem, quod divinis operationibus cogitando assequendis omnino imparem intellectum nostrum, corporearumque rerum naturam sensibus nostris imperviam confitemur, cum de actione ejusque modis aut conditionibus inquirimus, ad conscientiam provocamus, qua tum ea quae in nobis fiunt, tum ea quae a nobismetipsis geruntur, indubitata cogitatione, neque ullo interposito medio percipimus.

In nobis quidem alia efficiuntur, quorum causa extra mentem nostram sita est, nec voluntatis nostrae subjicitur imperio ; alia vero fiunt quorum nulla praeter voluntatem causa est, et quae ipsius arbitrio ita parent, ut, ea absente aut reluctante, nunquam eveniant : cujus modi sunt ipsius voluntatis decreta, aut nisus quo mens in seipsam cogitando reflectitur, vel ad movenda corporis membra resque externas intenditur.

Cum autem nimia est aggressa, aut remissius quam poterat se intendit, tunc voluntas, propterea quod nihil prorsus actione ejus efficitur, a proposito deficere, conatusque ejus irriti cadere dicuntur. Si quis enim quercum radices altius agentem humero

evellere tentaverit, quamvis totis nixus erit viribus, mole sua stabit arbor immota. Quod quidem nobis documento est actionem in agente fieri et a passione aut effectu prorsus discrepare, cum evenire quidem possit ut actio quaedam exerceatur, nec tamen ullus inde sequatur effectus.

At quotiescumque agimus, sive aliquid proficiamus, sive frustra nitamur, conscientia teste admonemur actione nos immutari, quin imo, eam quam experimur immutationem ipsam revera esse nostram actionem. Quoties igitur mentem nostram pro arbitrio et voluntate immutari perspicimus, vim effectricem qua praedita est, conscientia percipimus et actu se exserentem deprehendimus.

Verum si, quod conscientia testatur, mentis in arbitrio est actuosam virtutem suam huc aut illuc regere et inflectere, variasque sibimet immutationes inferre, manifestum est eam a se ipsa immutari, et Scholasticos a vero deerrasse, qui crederent *nihil a seipso moveri* aut mutari, eoque tanquam fundamento innixi, negarent ullam causam creatam per se ipsam quidquam posse.

Praeterea cum, sentiendo vel percipiendo, iis mens nostra afficitur quae a voluntate non pendent, sed rebus externis in ipsa excitantur, ne tunc quidem eam omnino inertem deprehendimus. Non enim ut cerae imprimitur sigillum, ita menti suam corpora speciem inducunt : ista autem non modo immissas aliunde species recipit ac patitur, sed etiam transmutat propriamque in naturam quasi redigit. Externis quidem rebus mens per corporei organi ministerium movetur ; multum autem inter se discrepant nervorum motus

alienam impressionem deferentium, et sensus aut perceptio quae postea in animo enascuntur. Quid, quaeso, commune habet cum ipso sono vel colore motus nervorum auditui vel visui inservientium? Quid cum voluptate et dolore, nervorum contractio, quae nihilo secus ac chordae percussae vibratio sub mensuram cadit? Quove modo irae aut odio similis est sanguinis motus, qui non aliter quam liquor quilibet agitatur? Quare dicendum est animam, etiam cum maxime patiatur, actuosam se praestare, nec quidquam pati quin simul operetur.

Imo nullus est temporis articulus, quo animus iners et otiosus resideat; non quod eodem pacto semper agat aut eadem efficiat, sed quod aliquid semper operatur. Inde colligimus agere ita ad animae essentiam pertinere, ut ea operari nunquam cesset, neque intelligamus quaenam, deficiente ejus actione, esse possit ejus natura.

Praeterea physicorum experimentis deterremur ne corpora ipsa omni prorsus actione destituta credamus.

Scholastici quidem cujuslibet corporis unam tantum esse substantiam, *materia* scilicet *formaque* constantem, arbitrabantur, quae in partes aliena vi secari posset et dividi, quamvis ante effectam divisionem partes nullae reapse in ea existerent. Recentiores autem corpora existimant non modo dividi posse, sed etiam esse particulis numero paene infinitis et a se invicem distinctis conflata, quibus solis jure et merito substantiarum nomen vindicetur; ita ut corpus unum nihil aliud sit quam moles ex innumeris substantiis iisque individuis coagmentata, quae atomorum seu monadum nomine appellantur.

Hujusmodi autem substantiis nostras actiones impediri, viresque coerceri nemo est qui ignoret; quod non intelligitur, nisi impellentibus nobis resistant et reluctentur : resistere autem et reluctari nihil valet quod non sit agendi facultate instructum. Fatendum est igitur corporeis substantiis perinde ac mentibus vim quamdam inesse actuosam, qua quidem nunquam deficiantur, utpote quae contra alienos impulsus nunquam non renitantur.

Imo ea ipsa quies plane commentitia est, qua vulgo creditur desidere et quasi torpere corpora quamdiu loco suo aliena vi non moveantur. Corpora autem omnia intestinis motibus perpetuo agitantur, et ideo immota constare videntur, quod elementa ex quibus concreta sunt, mutua actione librantur.

Monades autem vel atomos inter se mutua actione quasi arctissimo vinculo cohaerere nemo negaverit, qui animadverterit molem corpoream in partes non resolvi, nisi ipsi vis extrinsecus adhibeatur, qua partium in se invicem tendentium nisus superetur aut compescatur.

Non me fugit ista non omnibus arridere, multosque arbitrari primigenia corporum omnium elementa pari natura constare, et ex se prorsus inertia esse; quaecumque autem in rerum universitate fiant, ex motu mundanae compagi primitus impresso provenire, qui per corpora perpetuo ac certis legibus transmittatur et veluti transfundatur. Cum eorum sententia optime consonat Scholasticorum effatum : *Nihil a seipso movetur.*

Verum non animadvertunt, si motus initio rerum impressus per naturas omnino similes et omnis actionis expertes transmissus fuisset, futurum fuisse ut

eaedem omnino res ubique efficerentur, neque ulla exstaret in mundo, sive rerum, sive actionum varietas aut distinctio. Ut enim ex eadem causa varii et dispares effectus prodeant, requiritur ut ea multiplici modo operetur aut in substantias agat natura discrepantes. Motus autem, praeter quem nullam existere causam volunt, iisdem legibus semper parere et aequabiliter operari profitentur.

Praeterea si corpora aut particulae quibus constant, omni prorsus agendi facultate destituta essent, nullum corpus contra vim aut motum impellentis reluctaretur, motusque non iisdem legibus propagaretur quibus eum transmitti videmus. Eadem vis, e. g., moles inaequales pari celeritate moveret, et corpus motum corpus alterum cui impingeretur, permearet, nec tamen eo retardaretur aut impediretur.

Ea igitur quae corporum propria dicitur inertia, non ita accipienda est, quod in eis nulla insit virtus aut agendi facultas, sed quod viribus quibus sunt praedita pro arbitrio uti nequeant, actionesque quarum sunt principium et fons, incipiendi, aut intermittendi, aut immutandi potestate careant, et ineluctabili quadam necessitate operentur. Unde fit ut nullum corpus ex se loco moveri suo, aut semel motum per se possit consistere.

His de causis, constantissime tenendum est, substantias omnes, sive animas, sive partes corporum individuas, virtute quadam actuosa praeditas esse, locumque absolutae inertiae nusquam reperiri (1).

(1) « Ce qui n'agit point, ne mérite point le nom de substance. » Leibnitz, *Théodicée*, nº 393.)

At enim, inquies, ex antea dictis sequitur quidem creatas substantias semper operari; vires autem quibus operentur, ipsis esse proprias et *essentiales* non ita manifestum est. Duplici enim ratione explicari potest earum actio: sive quod res virtute congenita polleant, quae ex earum natura tanquam e nativo fonte aqua scaturiat, neque eis detrahi possit, quin et ipsae intereant; sive quod ipsis per se inertibus virtus extrinsecus infundatur, quae etsi nunquam deficiat, verumtamen salva earum natura deficere possit vel auferri.

Utrumque, fateor, probabile est; prius tamen eligendum est, quod Deus non potuit naturam creare quae per se sit omnino iners aut aliqua agendi facultate non polleat.

Nulla enim existere aut fingi potest res, quae suis affectionibus non sit subjecta, aut cujus non sint suae proprietates et qualitates a natura tributae, quibus a ceteris rebus discrepet et distinguatur; et quod omni prorsus qualitate carens excogitaretur, id indistinctum et indefinitum diceretur; at nihil esse aut mente concipi potest, nisi quodammodo determinatum. Quotquot autem proprietates aut qualitates recenseri possunt, absolutae inertiae repugnant, neque ulli se naturae inesse patiuntur, quae per se aliqua vi actuosa non sit praedita. Nulla igitur res est cujus naturam per se agendi facultatis expertem putemus, nisi forte ad pantheistarum placita accedentes, dicamus ipsam vim qua omnes ejus rei constent proprietates, esse propriam Dei virtutem.

De mentibus quidem, non ambigitur ex omnibus quae ipsarum sint propriae facultatibus, ne unam

quidem sine quadam virtute agendi consistere posse, propterea quod, etiam cum maxime alienos impetus patiantur, eas tunc agere manifestum est.

Quod si a mentibus ad monades transeamus quibus sunt corpora concreta, cum sint prorsus individuae partibusque destitutae, quaenam praeter vim agendi ipsis congruere proprietas possit ? Dimensione et figura ? At istiusmodi proprietates rei esse nemo dixerit, nisi sit in longum latumque porrecta. Colores autem sonique et sapores et cetera quae ad *secundas*, ut vocant, *qualitates* pertinent, animae sentientis potius quam ipsorum corporum sunt affectiones, ut quae extra nos nihil sint nisi quidam corporearum molecularum motus. Gravitas vero seu pondus, quid est aliud quam nisus corporum deorsus tendentium inferioremve locum petentium, aut corporibus impedientibus reluctantium ? Unitas ipsa, quae monadum est maxime propria, nihil esset quam fictitium intellectus commentum, nisi substantivae cuidam et individuae virtuti inesse putaretur.

Imo, si eam velis esse inertiam, quae non mentis fictione tantum, sed reipsa existere et substantiae cuidam pro vera et solida qualitate inhaerere possit, eam divinae quoque naturae inesse confitearis necesse habes, cum quidquid est, in Deum sit, remoto limite, transferendum. Deum igitur, quod ne dictu quidem fas est, esse inertem, imo absolutam inertiam perinde ac summam justitiam aut bonitatem certo credendum est !

Concedatur ergo omnibus et singulis substantiis quamdam inesse vim, quae ipsis ne divina quidem potentia, sine earum interitu, detrahi queat ; eamque agendi vim non esse a substantia cui insit reapse, sed

mentis tantum cogitatione distinctam, ita ut substantia nihil aliud sit quam vis quatenus in se constans ac subsistens, rursusque vis idem omnino sit ac substantia quatenus agendi capax intelligatur. Perperam igitur pluribus visum est vim et virtutem agendi esse aliquid adventitium quod substantiae jam constitutae extrinsecus accedat, eamque perficiat : substantia enim et vis congenitae sunt, vel potius sunt aliquid unum et idem, nec sine vi substantia magis quam vis absque substantia consistere potest.

Cum autem vis actione destituta non intelligatur, substantiam cui sit vis, ut modo explicavimus, essentialis, semper esse actuosam neque unquam ab agendo cessare existimandum est. Non requiritur tamen ejus actionem semper esse efficacem aut aliquid extra ipsam generare vel immutare. Fieri enim potest ut voluntate divina vel colluctantium rerum viribus vis ejus cohibeatur et intra substantiam lateat. Iis porro rerum adjunctis, substantia non minus actuosa est, cum actionem intermittere non possit ; causae vero nomen sibi non vindicat : causa enim proprie dicitur a qua effectus quidam derivatur, et hoc inter se differre vim et causam intelligimus, quod haec sit vis quae aliquid efficiat, illa autem, si non actione, at saltem effectu fraudari possit (1).

(1) Singulares substantiae, sive animae, sive monades quibus corpora sunt conflata, omnes communi virtute agunt, veruntamen non sunt omnes actionibus pares, sed gradu ac perfectione a se invicem discrepant, eo quod aliae ceteris intentius aut remissius agere natura sua coguntur, aut quod aliae aliis rebus efficiendis idoneae sunt, vel potissimum quod quibusdam, scilicet mentibus, virtutem suam regere et pro arbitrio huc aut illuc inflectere concessum est, dum reliquae fatali quadam necessitate sunt devinctae aut caeco ducuntur instinctu.

Verum si res ita se habent, jam manifestum est praemotionem physicam supervacuam et inutilem esse. Qui enim substantias omnino inertes ponebant, consentaneum erat eos, ut earum operationes explicarent, ad virtutem alienam confugere, qua ad agendum excitarentur. Sin autem substantias, quae *substantivae vires* rectius dicerentur, per se actuosae sunt neque unquam actione vacare possunt, minime indigent quasi stimulo extrinsecus excitari, neque alieno impulsu moveri; sed nisu quodam interiore et suo in actionem intenduntur, actioque ex ipsis tanquam e perenni fonte erumpit. Deum vero eorum operationibus intercurrere non opus est, nisi ut frustra nitantur, interiusque vires earum cohibeantur, nullusve ex iis sequatur effectus, vel potissimum ut ad ordinem quem *supernaturalem* theologi vocant, eleventur, effectibusque natura sua superioribus eliciendis idoneae fiant.

Hic autem fortasse occurrent qui Molinam sequuntur, hujusmodi quidem ratione urgeri confitentes Thomistas et ceteros qui concurrentis Dei influxu ipsam causam secundam compleri aut moveri censeant, negantes tamen eam quidquam adversus seipsos valere, qui Deum intercedere velint, non ut causae secundae agant, sed ut, ipsis agentibus, aliquis oriatur effectus, quem dicunt non nisi conspirantibus Dei et naturae creatae viribus posse generari.

Nihil vero proficiunt: si enim Deus, uti volunt, effectum immediate operetur, eum per se solus operari putandus est; nam ipsi tanta virtus inest ut quibuslibet rebus efficiendis per se solus sufficiat, et supervacuum est causam alteram simul operantem ad eumdem effectum adhiberi. Deum igitur unam esse causam

efficientem ipsis confitendum est, nisi Durando consentire malint.

Praeterea vana quadam et inani ratione adducti, statuerunt res creatas, nisi earum actioni accedat operatio divina, frustra niti et remanere inefficaces, quod scilicet existimarunt ab iis res alias, imo substantias procreari quae prius non exstarent (Vide sup. p. 4-7).

Eo enim spectare quamlibet actionem intelligebant ut forma quaedam educeretur, sive *accidentalis,* sive *substantialis,* qua aliquid entis constitueretur aut constaret; *esse* autem, utpote omnium rerum communissimam, non posse nisi Deo interveniente produci, qui nativae finitorum agentium impotentiae opituletur.

Ad formas autem substantiales quod attinet, iis efficiendis opus esse videtur causis quae rebus e nihilo creandis tantum non sint idoneae. Substantias enim quas quotidie generari arbitrabantur, e subjecta quidem materia educi aiebant, quae tamen sit prope nihil; nam ab iis, auctore Aristotele, sic describitur : « *Quod neque est quid, neque quantum, neque quale, neque aliquid eorum quibus ens determinatur.* » (Arist., *Metaph.*, vi, 3). Quid vero istiusmodi materia causae secundae ad effectus gignendos prodesse possit, intellectu difficile est (1).

(1) Imo D. Thomas de eductione formarum haec docet quae de ipsa creatione ex nihilo aptissime dicerentur : « Actum extrahi de potentia materiae nihil aliud est quam aliquid fieri actu quod prius erat in potentia. » (*Sum. Theol.*, 1, q, 90, art. 11, ad 2.) — Leibnitius Baelio consentit scribenti : « Nihil accidere molestius iis qui formas substantiales adserunt, quam quod illis objicitur, nonnisi per veram creationem eas produci posse, et miseratione dignos esse Scholasticos, ac turpiter se dare, dum huic objectioni respondere conantur. » (Leibnit., *Theodic.*, n. 396.)

Minus igitur mireris quod Scholastici, qui tantos a causis creatis effectus ortum ducere crederent, Deo esse intercedendum existimarunt, cujus opera paene infinitum quo inter se ens et non-ens distare dicuntur, intervallum compleatur, ut res efficiantur quae antea non essent.

Verum quaecumque sunt substantiae (eas dico simplices et individuas, animas scilicet aut monades), e nihilo eductae sunt, neque ullum praeter Deum auctorem habent. Agentia vero finita, quidquid multiplici modo, congregando scilicet vel dissociando, constringendo vel dilatando, componendo vel dissolvendo operentur, nulli substantiae initium existendi afferunt ; sed tantummodo substantiis a Deo creatis accidentia quaedam, novas scilicet affectiones aut relationes novosque habitus, inducunt, quibus earum neque augetur neque minuitur natura aut perfectio (1). Quare quantacumque mutatio rebus subjectis ex creatorum agentium operatione accidit, nihil *entis* ipsis accrescit, neque inde magis in se perficiuntur, quam augetur militum agmen arma exercentium, cum mutat locum, vel figura ejus e quadrato in parallelogrammum vertitur. Quae quidem recentioris physicae peritis magis perspicuum est, quam ut iis illustrandis diutius immoremur.

Quod si non ulterius procedunt causae creatae, nec quidquam entis producunt, nil opus est eas agentes, ut suos obtineant effectus operaque sua expromant, divinam virtutem mutuari.

(1) Cf. Aristot., *Metaphys.*, xiv, c. 1.

CAPUT QUINTUM

VARIA CONCURSUS DIVINI FORTUNA

Quoniam ii qui Durandi sententiae adversantur, Doctorum auctoritatem plurimi faciunt, nobis inquirendum superest, meritone contendant fere omnes christianae fidei addictos concursui immediato suffragari.

Primum omnium, ex omnibus Orientalis Ecclesiae Patribus, ne unus quidem ipsis patrocinari videtur; non quod eorum placita profligarint aut ex professo respuerint, cum de concursu divino nondum esset mota quaestio, sed quod eas de rebus huic proximis opiniones tenuerunt quibuscum concursus simultaneus aut praemotio physica minime possint conciliari.

Origenes quidem a D. Thoma reprehenditur quod sancti Pauli *Deum in nobis operari velle et perficere* aientis verba male sit interpretatus, « *quasi Deus operetur in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem faciat nos velle hoc vel illud* (1). » Origenes enim liberi

(1) S. Thom., *Cont. Gent.*, l. 3, c. 89.

arbitrii acerrimus propugnator apostolico dicto plures abuti animadverterat, quorum objecta refert et diluit : « *Dicunt quidam : Si a Deo est velle et agere, quoties prava volumus vel agimus, a Deo omnia ista sunt ; proinde non sumus liberi. Rursusque quoties meliora volumus vel agimus, cum a Deo sit velle et perficere, non ipsi meliora fecimus ; nos quidem facere visi sumus, Deus autem largitus est ; quare neque in his sumus liberi. — Ad haec respondendum est non dicere Apostolum, mala vel bona velle esse a Deo, item nec meliora aut pejora facere, sed universim velle et universim currere. Quemadmodum enim a Deo habemus quod animalia, quod homines sumus, ita etiam quod generatim volumus, ut ita dicam, et generatim movemur. Sicut autem etsi a Deo accepimus quod animalia sumus et membra haec, manus aut pedes movemus, non recte dixerimus nos peculiarem hunc motum ad verberandum occidendumve aut ad aliena rapienda, a Deo habere. Verum cum motus universe spectati nobis Deus auctor fuerit, nos vero motu ad pejora aut meliora utimur, sic agendi vim qua animalia sumus, sicut et volendi, nobis quidem Deus impertiit ; at illam volendi nec non agendi vim ad honesta vel turpia flectimus* (1). »

(1) Καὶ φασί τινες · Εἰ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ τὸ ἐνεργεῖν, κἂν κακῶς θέλωμεν, κἂν κακῶς ἐνεργῶμεν, ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ταῦθ' ἡμῖν ὑπῆρξεν · εἰ δὲ τοῦτο, οὐκ ἐσμὲν αὐτεξούσιοι · πάλιν τε αὖ κρείττονα θέλοντες καὶ τὰ διαφέροντα ἐνεργοῦντες, ἐπεὶ ἀπὸ Θεοῦ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ἐστι, οὐχ ἡμεῖς τὰ διαφέροντα πεποιήκαμεν, ἀλλ' ἡμεῖς μὲν ἐδόξαμεν, ὁ δὲ Θεὸς ταῦτα ἐδωρήσατο · ὥστε καὶ κατὰ τοῦτο οὐκ ἐσμὲν αὐτεξούσιοι. Καὶ πρὸς τοῦτο δὲ λεκτέον ὅτι ἡ τοῦ Ἀποστόλου λέξις οὐ φησὶ τὸ θέλειν τὰ κακὰ ἐκ τοῦ θεοῦ εἶναι, ἢ τὸ θέλειν τὰ ἀγαθὰ ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι · ὁμοίως τε τὸ ἐνεργεῖν τὰ κρείττονα καὶ τὰ χείρονα · ἀλλὰ τὸ καθόλου θέλειν, καὶ τὸ καθόλου τρέχειν. Ὡς γὰρ ἀπὸ Θεοῦ ἔχομεν τὸ εἶναι ζῶα, καὶ τὸ

Non me fugit in Schola Origenem, hac potissimum de re, male audire ; qui tamen non sine gravi quadam injuria insimulatus est Pelagio viam struxisse (1), neque unus inter Graecos ita opinatus est.

Alii enim, quo melius haereticos de Trinitate aut natura Christi prave sentientes refellerent, uno quasi ore profitebantur *non esse duorum unam operationem nisi eamdem substantiam participent*. Quod quomodo cum eorum placitis stare possit qui unam creaturae et Dei simul esse operationem censeant, ipsi viderint. Basilium audiamus : « *Quorum una eademque operatio, horum una quoque substantia existit* (2). » Id a Cyrillo paulo fusius explicatum est : « *Quibus operatio et virtus una pro indiviso est, his etiam necesse est communem speciem servari. Quae enim eamdem habent operationem, ejusdem sunt etiam substantiae, et diversam eis inesse naturam incredibile est. Neque enim unam Dei et creaturae naturalem operationem dabimus, ne creaturam ad divinam provehamus substantiam, neve divinae naturae praestantiam ad creatorum modum*

εἶναι ἄνθρωποι, οὕτω καὶ τὸ καθόλου θέλειν, ὡς εἰ ἔλεγον, καὶ τὸ καθόλου κινεῖσθαι. Ὥσπερ δὲ ἔχοντες τὰ ζῶα εἶναι, τὸ κινεῖσθαι, καὶ φέρ' εἰπεῖν τάδε τὰ μέλη κινεῖν, χεῖρας ἢ πόδας, οὐκ ἂν εὐλόγως λέγοιμεν ἔχειν ἀπὸ Θεοῦ τὸ εἰδικὸν τόδε ἤτοι τὸ κινεῖσθαι πρὸς τὸ τύπτειν ἢ ἀναιρεῖν, ἢ ἀφαιρεῖσθαι τὰ ἀλλότρια · ἀλλὰ τὸ μὲν γενικὸν τὸ κινεῖσθαι ἐλάβομεν ἀπὸ Θεοῦ · ἡμεῖς δὲ χρώμεθα τῷ κινεῖσθαι ἐπὶ τὰ χείρονα ἢ ἐπὶ τὰ βελτίονα · οὕτω τὸ μὲν ἐνεργεῖν, ᾗ ζῶά ἐσμεν, εἰλήφαμεν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ θέλειν ἐλάβομεν ἀπὸ τοῦ δημιουργοῦ · ἡμεῖς δὲ τῷ θέλειν ἐπὶ τὰ κάλλιστα ἢ ἐναντία χρώμεθα, ὁμοίως καὶ τῷ ἐνεργεῖν. (ORIGEN., *de Principiis*, l. III, c. I, n. 19.)

(1) Cf. E. MAURIAL, *Origenis de libertate arbitrii doctrina*, Monspelii, 1856, in-8.

(2) Ὧν μία καὶ ἡ αὐτὴ ἐνέργεια, τούτων καὶ ἡ οὐσία μία. (BASIL., *Epist.* 189.)

deprimamus. Quae enim unam habent operationem, unam eamdemque substantiam habebunt (1). »

Alii demum, recentioribus philosophis praeeuntes, saepius docent nullam esse substantiam quae operationem qualemcumque non exserat suam, propterea quod quaelibet substantia per se actuosa sit, actionibusque a ceteris substantiis discernatur. Unde colligere est eos minime iis consensuros fuisse qui, ut Deum omnibus agentibus creatis suppetias ferre comprobent, substantias statuunt esse per se inertes neque quidquam posse efficere.

Dionysius haec habet : « *Quod nullam potentiam aut actionem habet, non est, nec quidquam est* (2). » Neque absimili ratione Justinus ait : « *Operatio naturalis et constituens est differentia significatae rei naturam definiens ; extra quam nulla res habet unde natura ejus dignoscatur* (3). » Cui prorsus consonat Chrysostomus : « *Absque naturali operatione nullius natura manifesta est.*

(1) Οἷς ἡ ἐνέργεια καὶ ἡ δύναμις ἀπαραλλάκτως μία, τούτοις ἀνάγκη τὴν τοῦ εἴδους κοινότητα σώζεσθαι. Φιλεῖ γὰρ τὰ τὴν αὐτὴν ἐνέργειαν ἔχοντα, τῆς αὐτῆς ὑπάρχειν καὶ οὐσίας, καὶ τὸ ἑτεροφυὲς ἐν τούτοις ἀπίθανον· οὐ γὰρ δήπου μίαν εἶναι φυσικὴν ἐνέργειαν δώσομεν Θεοῦ καὶ ποιήματος, ἵνα μήτε τὸ ποιηθὲν εἰς τὴν θείαν ἀναγάγωμεν οὐσίαν, μήτε μὴν τῆς θείας φύσεως τὸ ἐξαίρετον εἰς τὸν τοῖς γενητοῖς πρέποντα καταγάγωμεν τρόπον. Τὰ γὰρ μίαν ἔχοντα τὴν ἐνέργειαν, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν τοῦ πῶς εἶναι φορέσει λόγον. (S. Cyrill., in *S. Maximi confessoris Solutionibus*, ed. Migne, *Patrolog. gr.* XCI, 284-285.)

(2) Τὸ μηδεμίαν δυνάμιν ἢ ἐνέργειαν ἔχον, οὔτε ἐστὶν, οὔτε τί ἐστιν. (S. Dionys., apud Petavium, *Dogmat. theol.*, t. I, 1.)

(3) Ἐνέργεια φυσική τε καὶ συστατική ἐστιν ἡ ὁριστικὴ διαφορὰ τῆς τοῦ δηλουμένου πράγματος φύσεως : ἧς χωρὶς κατ' οὐδὲν οὐδὲν παντελῶς ἔχει τὴν τοῦ πως εἶναι διάγνωσιν. (S. Justin., *adv. Euphras. sophist.*, ap. S. Maxim., ed Migne, *Patrolog. gr.* XCI, 280.)

Velut enim insignientem notam cuique naturae Creator a reliquis essentialiter discernentem motum indidit (1). »

Et Gregorius Nyssenus eadem etiam expressius evolvit : « *Operatio est motus essentialis naturam insigniens cujus proprius est, per quem cognoscitur a reliquis essentialiter distincta. Operatio est motus actuosus ; actuosum autem vocatur quod a seipso movetur. Operationem enim appellamus naturalem cujusque substantiae virtutem et motum, sine quibus neque est neque agnoscitur natura... Proprietatem qua quaeque natura designatur, naturalem operationem vocamus ; qua caret tantum quod nihil est. Nam quod est, cum substantiae cujusdam sit particeps, prorsus particeps erit virtutis naturaliter eam declarantis* (2). »

S. Joannes Damascenus, qui eumdem fere inter Graecos quem apud nostros D. Thomas locum obtinet, his verbis superiorum Patrum doctrinam complexus est : « *Operatio est naturalis cujusque substantiae vis et motus. Et rursum : operatio naturalis est innatus cujusvis substantiae motus ; unde patet quorum eadem sit substantia, eorum operationem esse eamdem ; quo-*

(1) Ἄνευ φυσικῆς ἐνεργείας, οὐδενὸς φύσις ἐπίδηλος. Οἷον γάρ ἑκάστῃ φύσει χαρακτῆρα γνωριστικὸν ὁ Δημιουργὸς, τὴν διακρίνουσαν αὐτὴν τῶν ἄλλων οὐσιωδῶς, ἐναπέθετο κίνησιν.

(2) Ἐνέργειά ἐστι κίνησις οὐσιώδης χαρακτηριστικὴ τῆς φύσεως ἧς ἰδία καθέστηκε, δι᾽ ἧς γινώσκεται τῶν ἄλλων οὐσιωδῶς διαφέρουσα. Ἐνέργειά ἐστι κίνησις δραστική. Δραστικὸν δὲ λέγεται, τὸ ἐξ ἑαυτοῦ κινούμενον. Ἐνέργειαν γὰρ ἡμεῖς εἶναι φαμεν, τὴν φυσικὴν ἑκάστης οὐσίας δύναμίν τε καὶ κίνησιν, ἧς χωρὶς οὔτε ἔστιν, οὔτε γινώσκεται φύσις... Τὸ σημαντικὸν ἑκάστης ἰδίωμα φύσεως ἐνέργειαν λέγομεν φυσικήν. Ἧς μόνου ἐστέρηται τὸ μὴ ὄν. Τὸ γὰρ ὄν, οὐσίας τινὸς μετέχον, καὶ τῆς δηλούσης αὐτὴν φυσικῶς μεθέξει πάντως δυνάμεως. (GREG. NYSS., apud S. Maxim., ed. Migne, *Patr. gr.*, XCI, 284-285.)

rum vero naturae sint distinctae, eorum etiam discrepantes esse operationes ; fieri enim non potest ut substantia careat naturali operatione. Operatio iterum est naturalis illa vis qua natura quaeque declaratur. Ac rursus, operatio est naturalis, primaque et perenni motu praedita virtus intelligentis animae, h. e. perenni motu praedita est ejus essentia, naturaliter ex ipsa sine intermissione scaturiens. Et rursum, operatio est naturalis cujusque substantiae vis et motus, qua caret solum id quod non est. Operationes etiam dicuntur actiones, ut sunt loqui, ambulare, manducare, bibere et cetera hujusmodi (1). »

Et de actione Damascenus eadem prorsus sententia qua recentiores docet : « *Agere est in seipso operationis causam habere* (2). »

Ex his omnibus liquido constat Graecis Ecclesiae Patribus longe aliam fuisse mentem ac Scholasticis

(1) Ἐνέργεια γάρ ἐστιν ἡ φυσικὴ ἑκάστης οὐσίας δύναμίς τε καὶ κίνησις. Καὶ πάλιν · ἐνέργειά ἐστι φυσική, ἡ πάσης οὐσίας ἔμφυτος κίνησις · ὅθεν δῆλον, ὅτι ὧν ἡ οὐσία ἡ αὐτή, τούτων καὶ ἡ ἐνέργεια ἡ αὐτή, ὧν δὲ αἱ φύσεις διάφοροι, τούτων καὶ αἱ ἐνέργειαι διάφοροι · ἀμήχανον γὰρ οὐσίαν ἄμοιρον εἶναι φυσικῆς ἐνεργείας. Ἐνέργεια πάλιν ἐστὶ φυσική, ἡ δηλωτικὴ ἑκάστης οὐσίας δύναμις. Καὶ πάλιν · ἐνέργειά ἐστι φυσικὴ καὶ πρώτη ἀεικίνητος δύναμις τῆς νοερᾶς ψυχῆς · τουτέστιν, ὁ ἀεικίνητος αὐτῆς λόγος, φυσικῶς ἐξ αὐτῆς ἀεὶ πηγαζόμενος. Καὶ πάλιν · ἐνέργειά ἐστι φυσική, ἡ ἑκαστὴς οὐσίας δύναμίς τε καὶ κίνησις, ἧς χωρὶς μόνον τὸ μὴ ὄν. Λέγονται δὲ ἐνέργειαι καὶ αἱ πράξεις, ὡς τὸ λαλεῖν, τὸ περιπατεῖν, τὸ ἐσθίειν, τὸ πίνειν, καὶ τὰ τοιαῦτα, κ. τ. λ. (S. JOAN. DAMASC., *Dialect.* cap. 52 ; cf. *de Fide orthodoxa*, l. II, c. 23.)

(2) Ποιεῖν ἐστι τὸ ἐν ἑαυτῷ ἔχειν αἰτίαν τῆς ἐνεργείας. (S. JOAN. DAMASC., *Dialectic.*, c. 52.) — Adnotare juvat Nemesium, Emesenum episcopum, de Deo et providentia disserentem nusquam de concursu mentionem facere (*De nat. hominis*, c. 43 et 44). Imo cum (cap. 39) varias causarum species recenseret, expressis verbis pronuntiavit « Dei opus esse substantiam et providentiam, τοῦ μὲν Θεοῦ ἔργον, οὐσία καὶ πρόνοια, rerum scilicet creationem et administrationem » ; negavitque Deo ad-

doctoribus, qui rebus creatis vim agendi propriam et insitam denegarent earumque actiones ab alieno impulsu dependere censerent. Illis quidem fuerat adversus Arianos Eutychianosque et Monothelitas decertandum, quorum errores confutare non potuissent, nisi eorum opera prius constitisset vera naturae aut substantiae notio, quam ex propriis ejus operationibus repetiverunt. Occidentalis autem Ecclesiae Patres, quod aliis cum adversariis, Manichaeis scilicet et Pelagii sectatoribus, rem habuerunt, eo potissimum spectarunt ut divinam virtutem et potentiam maxime extollerent, minusque intenti fuerunt ut suam rebus creatis nativam agendi facultatem vindicarent, quae extra controversiam remaneret. Quare mirandum non est, quod ab iis quaedam sint minus accurate aut perspicue disputata, unde legentibus praejudicata quidem opinione occupatis inter eos annumerandi videantur qui res creatas ex se inertes velint.

Pelagiani qui gratiam ad peccatum declinandum supernamque felicitatem promerendam hominibus minime necessariam esse contendebant, melius interdum se habere visi sunt, quod eorum adversarii a *naturalibus*, h. e. iis quae ad civilem praesentemque vitam, *supernaturalia*, ea scilicet quae ad aeternam salutem pertinent, non satis diserte discernebant. Critobulus enim Pelagii vices agens apud Hieronymum sic loquitur : « *Si in singulis rebus quas gerimus, Dei utendum est adjutorio, ergo et calamum temperare ad*

scribendas esse hominum actiones, utpote quod Deo turpes et iniquas interdum actiones nefas sit assignare, *οὔτε Θεῷ θεμιτὸν ἐπιγράφειν αἰσχρὰς ἔσθ' ὅτε πράξεις καὶ ἀδίκους.*

scribendum, et temperatum pumice terere manumque aptare litteris, tacere, loqui, flere et cetera hujusmodi, nisi Deus juverit, non poterimus (1). »

Ipsum Hieronymum qui Durando obnituntur suis partibus adscribunt, proferuntque eum ita in Pelagianos invehentem : « *Audite, quaeso, audite sacrilegum* : « Si, *inquit,* voluero curvare digitum, movere manum, « sedere, stare, relevare alvum, urinam digerere, « semper mihi auxilium Dei necessarium erit ? » *Audi, ingrate, imo sacrilege, Apostolum praedicantem : Sive manducatis, sive bibitis, omnia in nomine Domini facite.* » Et paulo inferius : « *Ipsum liberum, ut diximus, arbitrium Dei innititur auxilio, illiusque per singula ope indiget. Quod vos non vultis, sed id vultis ut qui semel habet liberum arbitrium, Deo adjutore non egeat* (2). »

Nec tamen defuerunt qui a naturalibus, insitas finitorum agentium vires non excedentibus, supernaturalia sedulo sejungerent, quae non sine *gratiae* auxilio peragantur. Quos inter exstitit incertus auctor libri qui *Hypognosticon* inscribitur, et sub Augustini nomine diu vulgatus est : « *Esse fatemur,* inquit, *liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum quae ad Deum pertinent sine Deo aut inchoare, aut certe peragere ; sed tantum in operibus vitae praesentis tam bonis quam etiam malis. Bonis dico quae de bono naturae oriuntur, id est velle laborare in agro, velle manducare et bibere, velle habere amicum ; velle habere indumenta,*

(1) S. Hieronym., *Dialog. adv. Pel.*, l. 1.
(2) Id., *Epist. ad Ctesiphont.*

velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum, velle quidquid ad praesentem pertinet vitam. » (lib. 3, cap. 4.)

Neque alia fuit Augustini sententia : « *Gratiam Dei... sic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa quod ad pietatem pertinet veramque justitiam fieri posse non dubitet* (1). » « *Sine illo* (Deo) *operante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus* (2). » Inde colligere est, ex Augustino quaedam esse quae absque gratia, imo absque immediato Dei concursu perfici possint ; nusquam enim apud Augustinum aliud praeter supernaturale quod gratiae vocabulo significatur, adjutorium occurret.

Quare non mirari non possum quod Durandi obtrectatores Augustinum se patronum et auctorem certissimum habere jactitent. Aliquot quidem hujus tanti viri locos proferre solent in quibus etiam *naturalibus* finitorum agentium operibus intercedere Deum arbitrari videtur. Haec tamen si in serie textuque operis unde excerpta fuerint, rursus inserueris, ibique attente recognoveris, facile tibi constabit Augustinum minime de *concursu*, sed de immediata rerum *conservatione*, vel saepius de supernaturali *gratiae* auxilio, verba facere.

Cujusmodi sunt haec toties decantata : « *Aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant,* » quibus illi confidunt physicam suaderi praemotionem. Cur autem superiora continentiaque non addunt ? Haec enim habet Augustinus : « *Non se itaque fallant qui dicunt :*

(1) S. Augustin., *de Gratia Christi*, cap. 26.
(2) Id., *de Gratia et lib. arbitrio*, cap. 27.

« Ut quid nobis praedicatur atque praecipitur ut declinemus a malo et faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle et operari Deus operatur in nobis. » Sed potius intelligant, si filii Dei sunt, spiritu Dei se agi, ut quod agendum est agant ; et cum egerint, illi a quo agunt, gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant ; et ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, id est cum dilectione et delectatione justitiae, suavitatem quam dedit Dominus accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent ut quod nondum habent accipiant (1). »

In quibus omnia ad gratiam pertinere liquet, nihil autem ad concursum. Imo nonne ex dictis manifestum est nos, etiam non collata gratia, quaedam facere posse, quibus tamen, ut ex *charitate* non factis, vitam aeternam non promereamur ?

Insignis etiam iste locus est : « *Sunt qui arbitrentur tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cetera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et jussit, Deum autem non operari.* » Quibus primo adspectu videtur impugnari sententia Durandi ; adeatur tamen ipse Augustinus. Haec enim verba Christi : *Pater meus usque nunc operatur* ita interpretatur, ut cum Durando prorsus consentire censeatur : « *Sic ergo credamus,* inquit, *vel si possumus, etiam intelligamus usque nunc*

(1) S. Aug., *de Correptione et gratia,* c. 2, n. 4. — Item de gratia ab Augustino dictum est : « Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati. » (*De Grat. et lib. arbit.,* c. 16.)

operari Deum, ut si conditis ab eo rebus operatio ejus subtrahatur, intercidant... Movet itaque occulta potentia universam creaturam suam, eoque motu illa versata, dum Angeli jussa perficiunt, dum circumeunt sidera,... dum vireta pullulant, suaque semina evolvunt, dum animalia gignuntur varioque appetitu proprias vitas agunt, explicat saecula quae illi cum primum condita est, tanquam plicita indiderat, quae tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille qui condidit, provido motu administrare cessaret (1). »

Hic autem rerum tantum conservationem et administrationem praedicari apparet, quae a concursu divino non parum discrepant. Deum enim docet Hipponensis episcopus ab actione quidem nunquam vacare, at non quod ad omnes et singulas rerum actiones concurrat, sed quod res ipsas a se conditas regat et moderetur (2).

Quis tamen Augustinum credat, si modo Deum ad singulas rerum actiones, ea quam statuunt ratione, aliquid conferre persuasum habuisset, tunc cum varia Dei opera recenseret, concursum praetermisisse? Item quis neget Hipponensi, cum explicandam divinae praescientiae rationem suscepisset, peropportunum fuisse ad eumdem concursum confugere, quem tamen nusquam commemorat?

E contrario, Deum saepius innuit rebus creatis facultates seu *potestates* quidem esse largitum, actus

(1) S. August., *de Gen. ad litt.*, l. v, c. 20.

(2) Non alia ratione idem Augustinus alibi (*de Gen. ad litt.*, l. iv, c. 12; cf. l. v, c. 12) explicat quomodo Deum semper operari sit existimandum, neque quidquam de concursu loquitur.

vero earum minime efficere : « *Sicut omnium naturarum,* inquit, *creator est* (Deus), *ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malae quippe voluntates* (h. e. pravi voluntatis actus) *ab illo non sunt* (1). » « *Nusquam legimus in Scripturis :* Non est voluntas (2) nisi a Deo. *Et recte non scriptum est, quia verum non est : alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo, quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiamsi desit effectus* (3). »

Quae sane cum concursu Dei immediato discordare nemo non confitebitur, quo volunt omnes et singulos cujusvis facultatis *actus* ita fieri, ut peccatum ipsum, uti aiunt, quatenus actio, (vide supra, p. 69) sit a Deo. Augustinus autem negat Deum, quamvis omnium auctor sit, ad pravas operationes quidquam conferre, quod peccatum, non *res,* sed tantummodo *actus* est, et ad *res* solas aut naturas tantummodo haec pertinent : *Omnia ex ipso* (Deo) *et per ipsum et in ipso* (4). Actus vero motusve rerum a Deo non pendere profitetur Hipponensis, nisi quatenus ab eo jubeantur aut permittantur, et res a quibus emanent ejus nutu administrentur. « *Sic Deus,* ait, *administrat omnia quae creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat* (5). » Et alibi : « *Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium specierum atque motionum ; nihil enim fit visibiliter et sensibiliter quod non de inte-*

(1) *De Civit. Dei,* l. v., c. 9 ; cf. *Confess.,* l. xii, c. 11.

(2) Hic *voluntas* pro *volitione,* vel *actu volendi* accipienda est.

(3) S. Aug., *de Spiritu et littera,* c. 31.

(4) S. Aug., *de Perfect. justit.,* c. 2 ; cf. *de Natura boni,* c. 28.

(5) Id., *de Civitate Dei,* l. 7, c. 30. cf. *Epist. ad Consent.,* 146, al. 205.

riori, invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur aut permittatur (1). »

Nec *res* quidem aut naturas earumque facultates et virtutes immediate a Deo fieri arbitratus est Augustinus: Omnium enim, inquit, Deus causa est non immediata sed *originalis* tantum ; quippe res non tunc cum in lucem prodeunt creantur, sed initio quaedam earum semina elementis insita sunt, quae postea data opportunitate orirentur (2). De ipsis hominum generationibus haec docet : « *Ex quo* (Adamo) *cum sint omnes homines propagati, quis hominum quando ille factus est, etiam se factum non potest dicere*, originis seminisque ratione. *Etiam secundum hoc recte dici potuit :* Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me, *quoniam* sine opere Dei *etiam de parentibus fit, ipso creante, illis generantibus*... (3) »

Quidquid igitur in contrarium nituntur et clamitant, Durando patrocinari Augustinus existimandus est, cujus hac de re placita in occidentali Ecclesia, plura per saecula praevaluere, et apud Anselmum iisdem fere verbis expressa inveniuntur.

Etenim quemadmodum Augustinus, ita Anselmus Deum ita operari professus est, ut res conservet et regat quas semel condiderit (4) ; concursum vero immediatum ne suspicatus quidem fuisse videtur. Aperte autem declarat Deum ideo esse omnium quae fiant causam et auctorem primarium, quod res creaverit iisque vires

(1) *De Trinit.*, l. 3, c. 4.

(2) *De Trinit.*, l. 3, c. 9 « Causa omnium *originalis* a Deo est. » ; cf. *de Civitate Dei*, l. 22, c. 24.

(3) *In Psalm.* 118.

(4) In *Monologio* et *Proslogio*.

facultatesque indiderit, quibus, ipso jubente aut permittente, operentur. « *Deus*, inquit, *facit omnes actiones et omnes motus, quia ipse facit res a quibus et in quibus et ex quibus fiunt, et nulla res habet ullam potestatem volendi aut faciendi nisi ipso dante* (1). » Rursusque : « *Ille* (Deus) *verius dicitur facere omne quod facit natura aut voluntas, qui facit naturam et instrumentum volendi cum affectionibus suis, sine quibus idem instrumentum nihil est* (2). »

Idem Doctor alibi exponit ita accipiendum esse nostras operationes, et praesertim malas, a Deo fieri; non quod eas ipse proprie faciat aut ad eas peragendas concurrat, sed quod res a se creatas virtutibus quas ipsis indiderit uti sinat : « *Quemadmodum Deus dicitur inducere in tentationem quando non liberat ab ea, ita fatemur eum dare voluntatem malam non prohibendo eam cum potest ; praesertim cum potestas volendi quidlibet non nisi ab illo sit* (3). »

Quae omnia cum D. Augustini placitis mire concinere, et Durandi sententiae favere sane videntur.

Patres Ecclesiae hominem ita ex se agere censebant, ut nihilo minus ad actus *bonos*, supernaturalis scilicet ordinis, operandum, peculiari Dei auxilio indigeret.

(1) *De Concordia praescientiae cum libero arbit.*, c. VI. — Cf. *De Conceptu virginali*, c. X et XI.

(2) *De Casu diaboli*, c. XI, al. XXI.

(3) S. ANSELMUS, *de Casu diaboli*, c. XX.— « Sicut dicitur Deus facere quod permittit facere, ita dicitur dare quod permittit rapi. Quoniam igitur, permittente Deo, angelus malus per rapinam usus est potestate a Deo sponte data, a Deo habuit ipsum uti, quod non est aliud quam ipsum velle. Non enim est aliud velle quam uti potestate volendi, sicut idem est loqui et uti potestate loquendi. » (*Ibid.*, c. XXVIII.)

Plures vero exstitere doctores qui eam esse naturae nostrae imbecillitatem crederent, ut nullo modo, ne ad peccandum quidem, sine adjuvante aut conspirante Dei operatione, agere possimus. Hos redarguit S. Remigius, Lugdunensis episcopus, docens « *Bona opera ita esse ipsius Dei ut sint omnino principaliter et veraciter opera Creatoris qui operatur in creatura et velle et perficere pro bona voluntate ; mala vero opera ejusdem creaturae, quia ipsius tantummodo sunt et ex ejus vitio, non ex Dei voluntate vel operatione procedere* (1).

Horum opinio diuturnitate non evanuit (2), imo paulatim inter doctores usus obtinuit ut peccati Deus ipse auctor haberetur. Quidam, ait Magister Sententiarum, « *non indocte tradunt voluntatem malam et actus malos in quantum sunt, vel in quantum actus sunt, bona esse et ex Deo auctore esse.* » Alteram tamen refert sententiam, quam *ab aliis plurimis* teneri testatur, et litem injudicatam relinquit (3).

Paucis vero post annis, Albertus Magnus antiquiorem doctrinam pro sua parte respuit, et plerosque inter aequales ab ea descivisse enarrat, hac potissimum ratione motos quod plura rerum prima principia statuere, Manichaeorumque erroribus tunc maxime grassantibus, favere videretur. « *Alia*, inquit, *opinio fere cessit ab aula et a multis modernorum reputatur haeretica* (4). »

(1) *Lib. de tribus epistolis.*

(2) Eam in operibus quae sub Hugonis Victorini nomine feruntur confutatam videmus : « Nulla ratione concedendum est, quod operatione Dei fiat peccatum. » (*In Epist. ad Rom*, q. 43.)

(3) Petr. Longob., *Sentent.*, l. 2, d. 35 et 37.

(4) *In 2 Sent.*, d. 35, art. 7. (Oper. t. xv.)

Eam tamen compertum est, a quibusdam, nec infimae notae doctoribus, fuisse propugnatam et defensam, quos inter Praepositivum memorant, Parisiensis universitatis ineunte saeculo XIII° cancellarium, qui *vir mirabilis magnusque clericus* exstitisse dicitur, et Guillelmum Varronem, e Minorum familia, quem circa annum 1270 floruisse, Scotumque auditorem habuisse ferunt (1).

Guillelmus quoque Alvernus, Parisiensis episcopus, suas rebus creatis operationes vindicat, quas Deus quidem regat, nec tamen eliciat; nec propterea, inquit, res quae a causis secundariis fiunt, minus a Deo pendent quam si eas Deus per se neque ullo interposito medio efficeret : res enim creatae non agunt nisi virtutibus ab ipsarum Conditore acceptis : « *Quidquid autem est causa causae est causa causati, et omnis causa primaria plus est influens etiam supra causatum secundae* (2). » « *Intelligis ex his quae dixi Creatorem omnia quantum ad ipsum aequaliter causare; quaedam autem per media, quae tamen media et ipse causat, cum vult, per media, et cum vult, sine mediis... Nec propter hoc minus aequaliter causat si per unum medium aut plura media causat eos, quemadmodum si quis per unum operarium aut per multos domum aedificet, non magis causat eam si per multos aut e converso. Eodem modo, si per nullum aut per aliquod medium, non magis aut minus cum per nullum medium quam cum per aliquod* (3). »

(1) Cf. Caes. Egassii Bulæi, *Histor. univ.*, t. III, p. 706; Petr. de Aquila, *in Sent.*, d. 14, q. 2.

(2) Guillelm. Alv., *Opera*, Paris, 1674, in-fol., t. I, p. 127.

(3) Id., ibid., p. 622; cf. t. II., suppl., p. 113. — Verum non tanta vult Guillelmus efficacitate pollere res creatas, quantam ipsis inesse

Frustra vero in contrariam partem tanti viri obnixi sunt; magis in dies invaluit opinio qua res creatas per se inertes desidere, neque quidquam nisi a Deo motas posse statuitur. Quam quidem doctrinam uberiorem jam ab Alberto factam, totam Aquinas amplexus explicavit novisque argumentis confirmavit. Nec tamen quantalibet ipsius auctoritate factum est ut, nemine reclamante, in Scholis dominaretur. At ex sententiis quas supra recensitas exhibuimus nulla est quae unquam fautores suos et assertores non habuerit.

Henricus Gandavensis litem disceptare primo nod videtur, sed rem ita edisserit ut mox cuilibet legenti constet eum inter concursum negantes esse annumerandum. Eos enim refellit qui res tum a causa prima, tum a secundariis agentibus procedere volunt, et a Deo quidem *esse*, a causis autem finitis *esse aliquid*, seu *esse tale* habere : « *Nulla est*, inquit, *creatura quae careat propria operatione, quia operatio sequitur formam, non solum in spiritualibus, sed etiam in corpo-*

credebant ceteri Scholastici. Etenim novas substantias ab eis generari inficiatur, quasi propria actione materiam solummodo praeparent, accipiendaeque formae substantiali idoneam praestent, quae a Deo immediate infundatur : « Qualiter igitur generatio flammae genitae attribueretur priori flammae ? esse enim dare soli virtuti omnipotentis Creatoris possibile est, et *forma ipsa substantialis flammae non generatur, sed creatur*, quemadmodum et in omni cujuscumque operis sive cujuscumque substantiae corporeae productione... Quod si quaeras quid igitur operetur ignis qui dicitur generans ad generationem et esse illius qui per ipsum generatur ? Nihil aliud respondeo in iis, nisi quia materiam praeparat removendo ab ea dispositiones quae repugnant formae generati et prohibent eam a materia in qua sunt. Praesto autem est largissima bonitas ac virtuosissima Creatoris quae in materiae parte statim dat formam convenientem illi. Et hoc apparet evidenter in generationibus animalium..... » (t. II, supp., p. 112.)

ralibus; et quaedam illarum non solum habent propriam (operationem), *sed aliquid sua operatione producunt, non solum secundum formam accidentalem, disponendo subjectum ad susceptionem formae substantialis, sed etiam attingendo formam substantialem, et ipsam in esse producendo* (1). » Qui autem ista docuerit, ei concursum immediatum visum fuisse inutilem quis dubitet?

Quidam ex rerum conservatione argumentum repetebant quo concursum comprobari asserebant, quasi Deus ea solum conservare possit quae ipse effecerit! Hos autem confutat idem Henricus. Tenet quidem res, etiam quae a causis secundis producantur, a Deo conservari. « *Sed tamen*, ait, *ex hoc quod Deus immediate omnem creaturam conservat, non sequitur quod sit causa ejus secundum actum immediate, sed solummodo quod sit causa fieri ejus in esse, sive immediate sive mediate, et hoc vel mediante sola potentia naturali data creaturae, vel cum hoc, virtute ejus illi influxa* (2). »

Item Richardus Radulphus, Armachanus archiepiscopus et totius Hiberniae primas, ostendit res quidem a Deo sustentari et conservari, nihil vero esse cur immediato ejus concursu ad operandum egeant; disputationemque ita concludit: « *Si quis poterit ex Scripturis sacris probare hanc cooperationem divinam cum omni agente creato, erit mihi mirandus, quoniam fateor me nescire in praesenti videre quod in actionibus creaturarum Deus immediate potentiam suam activam applicet ad illum actum agendum* (3). »

(1) *Quodlibet.* 14, q. 1.

(2) Henric. Gandav., ibid.

(3) Richard. Armachan., *de Erroribus Armenorum*, ed. J. Sudoris, 1511, in-fol., l. xvii, cap. 6 ad 25.

Inter Scholasticos autem huic sententiae nemo strenue magis adhaesit, eamve acrius propugnavit quam Durandus a Sancto-Porciano, qui prius Sacri palatii Magister, deinde Aniciensis et postea Meldensis episcopus evasit. Inde ea *Durandi sententia* plerumque nuncupatur. Durandus quidem iste e dominicana familia oriundus, de iis quae ad philosophiam pertinent liberius disputandi facultatem sibi vindicavit, neque se ea reverentia coerceri passus est, qua jam tum D. Thomae placita ejusdem Ordinis magistri prosequebantur. Quare non modo cuilibet opinioni probabiles suffragari rationes statuit, quod plures hujus aevi doctores fecerunt, sed etiam unam esse veram certamque sententiam Deum immediate ad actiones concurrere negantium, asserere non dubitat. Cujus praecipua argumenta supra retulimus.

E Minorum Ordine, D. Bonaventura Scotusque concursum quidem immediatum esse profitentur ; quanam vero ratione exerceatur non disserunt, neque apud eos quidquam invenies quo Dominicanorum praemotio physica confirmetur. Neque committunt ut concursus mediati defensores erroris aut haereseos damnent, sed eam modo quam amplexi sunt sententiam *veriorem* esse arbitrantur. Bonaventuram in medium proferamus : « *Sicut Magister dicit in littera, circa istam quaestionem fuerunt diversae positiones adeo magnorum virorum et adeo rationabiles, ut nec Magister ausus fuerit diffinire quae earum magis contineat veritatem. Attamen quia per multam discussionem dubia ducuntur ad manifestationem, nunc communiter tenetur quod opinio verior sit, quae dicit quod omnis actio, sive substrata peccato sive non, secundum id quod est*

actio, est a Deo; nec immerito, quia illud oportet ponere si pensetur eminentia divinae potentiae et indigentia potentiae creatae (1). »

Scotus autem primo concursum negantium sententiam respuit, quod ea Dei praescientiam et omnipotentiam tollere videatur; fatetur tamen eos causas secundarias a supremo Dei imperio non eximere, quamvis ipsis hoc crimen plerumque inferatur. Causae enim secundariae, ait, a prima satis pendent si ab ea productae sunt, nec requiritur ut ab ea ad operationes moveantur, aut effectus earum simul ab ea peragantur. « *Aliquando fit ordo causarum principalium et minus principalium, ita quod principale moveat minus principale vel ad actum secundum vel primum, ita tamen quod istae duae causae sint partiales et integrent per se unam causam totalem, sicut manus et baculus respectu motus pilae, vel sicut sol et pater respectu filii. Tamen in causis totalibus respectu suorum effectuum immediatorum, potest etiam esse ordo essentialis, ita quod causa secunda sit causa totalis immediata respectu sui effectus sicut causa prima respectu sui effectus, et tamen essentialiter sit secunda; quia secundum suam causationem sicut secundum suum esse essentialiter dependet a prima, non tamen ita quod ista dependentia sit immediata effectus sui ad ipsam et ad causam priorem* (2). »

Praeterea idem Scotus alibi erga veterem sententiam mitius etiam se gerit. « *Alia opinio,* inquit, *similiter potest sustineri, si causa una causat aliam totaliter...*

(1) S. Bonav., *in 2 Sent.*, d. 37, art. 1, q. 1.

(2) Scot., *in 2 Sent.*, d. 37, q. 2. « Et cum dicit illa propositio quod causa prima plus causat, verum est, quia causat secundam. » (ibid.)

Si argueretur, prima causa plus influit in effectum quam causa secunda, igitur magis causat; dico quod magis causare non est immediatius causare, sed quia causat causam effectus et per consequens est nobilior quam causa secunda (1). »

Nec negari potest quaedam apud Scotum occurrere quae Durandi sententiae magis etiam favere videantur. « *Paucitas*, inquit, *est ponenda ubi pluralitas non est necessaria, et possibilitas ubi non probatur impossibilitas, et nobilitas in natura ubi probari non potest ignobilitas. Sed immediatio actus primi ad actum secundum nobilitas est, ut patet in Deo, et non potest probari quod impossibile est actum secundum esse immediate ab actu primo in creaturis, cum rationes sint sophisticae id probantes. Igitur magis est ponenda paucitas nobilitans naturam quam pluralitas non necessaria et non nobilitans eam* (2). »

Haec cum fuerint a Scoto tradita, cujus apud Minores tanta fuit auctoritas et praestantia, nihil est cur miremur plures ex eodem Ordine exstitisse qui concursum duntaxat mediatum, si non ipsi sint amplexi, at saltem esse probabilem professi sint. Cujusmodi fuit Petrus Aureolus, e Franciscanorum familia ad archiepiscopalem Aquensis Ecclesiae sedem evectus. Hic enim duas de concursu opiniones *solemnes* quidem esse, negantem tamen esse « *magis rationabilem* » docet;

(1) Scot., *Report. paris.*, l, ii, d. 37, q. 2.

(2) Scot., *Report. paris.*, l. ii, d. 15, q. unic., t. xi, p. 348. Et alibi : « Non est verum universaliter quod, sicut generans dat substantiam rei, ita dat accidentia causaliter immediate... Ideo potest substantia esse a Deo, et actus, maxime quoad deformitatem, potest esse a voluntate ipsa. » (*In 3 Sent.*, d. 18, q. unic., t. vii, p. 407.)

quam pluribus argumentis tuendam suscipit et ab adversariorum objectionibus vindicandam (1).

Item Petrus de Aquila, cognomento Scotellus, postquam varias hac de re sententias retulit, ea quibus nititur concursus immediatus argumenta prorsus invalida esse comprobat, decernitque oppositam opinionem « forte veriorem esse (2). »

Alius Minor, Nic. Bonetus, quem Picus Mirandulanus miris extollit laudibus, quam de concursu instituit disputationem ita concludit : « *Dicamus quod nulla videtur impossibilitas, nec apparet necessitas ponendi primam causam agere effectum proprie ad producendum quemlibet effectum secundarum causarum. Ergo sequitur quod possibile est quod concurrat, et possibile est quod non concurrat, et hoc secundum beneplacitum voluntatis suae. Causae enim secundae ex se sunt in pluribus sufficientes ad producendum effectus suos. Attamen si prima causa vult cum eis agere ad producendum effectus, nullum apparet impossibile, nec manifestum inconveniens... Et si quaeras quae propositio sit magis probabilis, vel quod prima causa concurrat vel quod non, responsio negativa potest probabilior teneri* (3). »

Fr. Mayronius eidem Minorum Ordini adscriptus, concursum quidem immediatum tuetur ; pauci tamen

(1) *In 2 Sent.*, d. 38, t. II, ed. 1605, in-fol., p. 302 seq.

(2) *In 2 Sent.*, d. 34, q. 1 ; d. 37 ; d. 14, q. 2, art. 3.

(3) *Theolog. nat.*, l. VII, c. 3, Venet, 1515. in-4. — Ibidem Bonetus de actibus pravis haec habet : « Illi qui ponunt necessitatem concursus primae causae cum secundis, difficile possunt evadere quin sit causa cujuscumque effectus moralis, cum sit causa substrati et entitatis positivae ipsius actus defectuosi, ad quem sequitur necessario difformitas actus moralis, quoniam quidquid est causa antecedentis est causa consequentis; ista autem difformitas est consequens ad substantiam actus. »

hujus viri quamtumvis docti et acuti patrocinio gloriantur : Deum enim auctorem esse peccati asserere non dubitat. Qua opinione multum ille a ceteris recedit qui ad actus pravos Deum quidem concurrere tenent, ita vero ut « substratum et positivum actuum ab eo sit, nec tamen deformitatem eos consequentem ipse efficiat. » « *Istud*, ait Mayronius noster, *non sufficit ; nam a quocumque est subjectum, ab eo est passio necessario consequens ipsum subjectum et per se.* » Deum autem, etiamsi ad actuum pravitatem concurrat, non peccare contendit (1).

G. Ockamius inter nominales insignis, de concursu varias Doctorum opiniones recenset, quarum neutram audet eligere et amplecti, quamvis confiteatur « *quod non potest probari ratione naturali quod Deus est causa efficiens immediata omnium* (2). » Eum tamen Durandi sententiae magis quam ipsum Durandum suffragari oportuerat, ea potissimum ratione, quod in rebus creatis actionem a substantia non esse reipsa distinctam perspexerat. Unde consentaneum erat inferre substantias esse per se actuosas nec posse qualicumque actione sua privari, et proinde concursu nihil opus esse quo ad eliciendas operationes excitentur.

Illa quidem de concursu censuerunt Franciscani celebriores. At in Praedicatorum schola, ab omnibus sententia Durandi, ut quae a D. Thomae placitis recederet, explosa fuit. Jam enim generalium Ordinis capitulorum ordinatione sanctum erat ne quis e domi-

(1) *In 1 Sent.*, d. 43, q. 7 ; cf. 2, d. 43, q. 4 et D'ARGENTRÉ, *de novis Erroribus*, t. I, 1 part., p. 322 et 323.

(2) *In 2 Sent.* q. 4; *Quodlib.* II, q. 1.

nicano cœtu magister auderet a disciplina Doctoris Angelici docere aliena (1).

Surrexerunt igitur qui Durandum lacesserent, thomisticasque sententias ab ejus impugnationibus vindicarent. Quos inter acerrimus exstitit Durandellus.

Floruerunt postea J. Capreolus, princeps illius aevi Thomistarum, cujus opera in compendium redegit Fr. Barbo, a patria Soncinas dictus (2).

Capreolus asserendae praemotionis physicae provinciam suscepit ; non quod nova ad eam confirmandam excogitaverit argumenta, sed in iis diluendis quae a Durando Aureoloque objecta erant, totus versatur.

Ab istorum aequalibus, totoque hocce xvº saeculo, derelicta Durandi sententia videtur, nec quisquam eam audet propugnare (3).

Saeculo xviº, ex Ordine S. Dominici plures prodiere, v. g., Sylvester Ferrariensis, Cajetanus, Soto et Bannez, qui D. Thomae placita luculentissimis commentariis illustrare instituerunt, et pro sua eruditione

(1) Cf. Zigliara, *de mente Concilii Viennensis*, Romae, 1878, in-8, p. 208 et 209.

(2) Soncinas, *Epitome quaestionum a J. Capreolo disputatarum*, Lugduni, 1528, in-4 ; *in 2 Sent.*, d. 1, d. 14, d. 37.

(3) Animadvertere tamen pretium est Gabrielem Biel, Ockamii discipulum, perinde atque ejus magistrum, confiteri contrariam opinionem qua scilicet Deus sit omnium causa efficiens immediata, naturali ratione non posse comprobari. (*Super quatuor libros Sentent.*, Lugduni, 1527, in-4, l. 2, d. 1, q. 2.) Adnotare etiam juvat Gersonem, inclytum parisiensis Academiae cancellarium, in celebri *Epistola ad studentes collegii Navarrae* (Gersonis Oper., 1606, t. i, p. 559) inter eos « qui super Sententias purius et solidius conscripserint », cum Guillelmo Altissiodorensi et D. Bonaventura Durandum collocare, cujus ut opera sedulo evolvant Theologiae candidatos vehementer hortatur.

et ingenii subtilitate, magnam inde sibi laudem pepererunt, et ipsi Angelico Doctori majorem gratiam et favorem conciliaverunt. Eodem potissimum tempore, cum doctrinae praestantia, tum celebritate famae floruerunt theologicae in Iberica peninsula academiae, quarum magistri plerique exponendis confirmandisque thomisticis dogmatibus incumbebant. Quorum omnium studio et opera factum est ut D. Thomae gloria amplificaretur, Durandi autem auctoritas pene aboleretur. In Salmanticensi tamen universitate, pluribus ab annis exstabat cathedra Durando dicata, quam ne tunc quidem tollere ausi sunt, cum, auctore Poncio Legionensi, ex S. Augustini Ordine, reclamantibus vero Scotistis, facultas theologiae jurejurando doctores suos adstringere decrevit, ne quid profiterentur quod esset a mente Augustini et Aquinatis absonum (1627) (1).

Postea cum animadverteret L. Molina S. J. praemotionem physicam vix posse cum arbitrii libertate consistere, quam tunc maxime, grassantibus protestantium opinionibus, tutari et vindicari intererat, doctrinam excogitavit ad Scoti placita magis accedentem, nec tamen erga Durandum remissius quam ipsi Thomistae se gessit : « *Plurimi*, inquit, *censent sententiam*

(1) Quisque, cum verba jurisjurandi recitaret, se eo obligatum profitebatur, dummodo ad Durandi cathedram non eveheretur : « Et si aliquando cathedram Scoti vel Durandi moderabor, quamvis ad id teneri nolo, licere tamen mihi volo, pro eo tantum tempore probabiles eorum Doctorum opiniones sequi absque perjurii crimine .. » (Basil. Poncius Legionensis, *Academiae Salmanticensis de tenenda et docenda doctrina SS. Augustini et Thomae judicium*. (4a ed. Paris., 1657, in-8, p. 6.)

Durandi erroneam esse et id innuit Sotus (2 *Phys.*, q. IV., conc. 1). *Ego vero eam cum minimum falsam et minus tutam esse censeo* (1). »

Quantas illius liber inter catholicos turbas moverit, quamque violenta certamina excitaverit notum est; nihil tamen inde Durando profuit, in quo tandem profligando undique omnes adversarii consentiebant (2).

Quidam tamen, Doctorum auctoritati in philosophando minus obsequentes, ejus opinionem, omisso auctoris nomine, in libris etiam Superiorum permissu editis, propugnabant. Cujusmodi fuere Petrus Pomponatius, Lucilius Vaninus (3), et Th. Campanella.

Hic, licet Dominicanorum Ordini adscriptus, neutram concursus immediati speciem, multoque minus praemotionem physicam probavit, quam a thomistis (quos *pseudothomistas* contumeliose nominat) fuisse gratis confictam et Angelici doctoris nomine immerito commendatam contendit. Aquinatem enim se ducem sequi profitetur; ejus vero doctrinam quasi cum Durando consentiat perperam interpretatur (4).

(1) LUD. MOLINA, *de Concordia*, p. 150, q. 14, art. 13, disp. 25.

(2) Notandum est Hurtadum (disp. 10, sect. 2) et Rod. Arriagam (*Cursus philos.*, Antverp., 1632) confiteri, quamvis Deus cum causis secundis concurrat, fieri tamen potuisse ut non concurreret. Praeterea ait Arriaga difficulter posse sola ratione impugnari sententiam Durandi. At Suarez (*Metaphys.*, disp. XXII) de ista sententia sic habet: « Dicimus tam certum esse Deum influere immediate et per se in omnem actionem creaturae, ut id negare *erroneum sit in fide.* »

(3) PET. POMPONATIUS, *de Fato*, et VANINUS, *Amphitheatrum aeternae Providentiae*, Lugduni, 1615, exercit. 44.

(4) *de Praedestinatione*, ad calcem operis quod inscribitur *de Gentilismo non retinendo* (1635), p. 240, 245; cf. *Atheismus triumphatus* (1636); et *Metaphys.* (1638), p. 129.

Acriores eodem fere tempore inter Molinistas et Jansenianos exortae sunt controversiae, quibus primum causa fuit Guillelmi Gibieufii, ex gallicani Oratorii sodalitio, liber cui titulum fecit *de libertate Dei et creaturae*. Hic enim auctor praemotionem physicam ita tuebatur ut arbitrii libertati nonnihil detrimenti afferre videretur (1). Ei a multis reclamatum est, e quibus commemorare sufficiat Th. Raynaldum et Fr. Annatum, Societatis Jesu utrumque alumnum (2). De Gibieufio autem ita Leibnitius : « Fatendum est eum vocum significationem innovare persaepe, adeoque quaestioni non omnino satisfacere, quamvis res saepe bonas proferat (3). »

Raynaldus, inter Molinistas insignis, non modo contra Thomistas simultaneum concursum asseruit, sed etiam Ludovicum a Dola, Minorum in Burgundia

(1) « Doctrinam Bradwardini commutatis verbis tradit et necessitatem immutabilitatis vocat quam antecedentem et respectivam nominat Bradwardinus. » (D'ARGENTRÉ, *de novis Erroribus*, t. I, 1ª part., p. 329.) Iste Bradwardinus Oxonii circa annum 1328 floruerat, librumque *de Causa Dei adversus Pelagium* evulgaverat, in quo non modo secundas causas sine praevio Dei impulsu et adjutorio nihil agere docebat, sed etiam antecedentem necessitatem voluntatibus ex primae causae motione impingi.

Gibieufii opus, praefixa Jansenii, Sancyranensisque abbatis et aliorum approbatione, in lucem emissum fuerat.

(2) RAYNALDUS, *Nova libertatis explicatio*, 1632, in-4; FR. ANNATUS, *de incoacta Libertate*, Romae, 1654, in-4. — Animadvertere pretium est, Raynaldum, ementito nomine Rivière, anno 1630, evulgavisse opus inscriptum *Calvinismus bestiarum religio*, in quo asserit inter Thomistas et Calvinum nihil intercedere discriminis. Istud opus, quod in librorum prohibitorum Indicem anno 1633 relatum fuerat, denuo Cracoviae (Lugduni) excusum est. (*Apopompaeus*, inter *Raynaldi Opera*, t. XX, 1669, in-fol.)

(3) *Theodicaeae tentamina*, e versione supra laudata, n. 366.

ministrum Provincialem, lacessivit, cujus tunc temporis vagabantur manu scriptae institutiones. Hujus paulo post praelo commissa est *Disputatio quadripartita de modo conjunctionis concursuum Dei et creaturae ad actus liberos ordinis naturalis, praesertim ad pravos, adversus praedeterminantium et assertorum scientiae mediae opiniones* (Lugduni, 1634, in-4), opus copiosa eruditione refertum, in quo multa acute firmiterque pro Durando disseruntur, cujus sententiam oblivione pene obrutam, quasi ab inferis revocat et in medium pluribus argumentis confirmatam promovet auctor ingeniosus.

Parisiensem theologiae Facultatem ferunt parum abfuisse quin paulo post Durandi sententiam proscriberet. Cujus patrocinium suscepit Launoius, non quod novis eam argumentis tuitus sit, sed quod totus incubuit ut evinceret nullam ei theologicam inuri posse notam, quin antiquis Facultatis doctoribus injuria simul irrogaretur, qui Durandum laudibus commendavissent aut ejus opinionem, si non amplexi essent, at certe probabilem judicassent (1). Facultatemque rogabat Launoius ut Durandum indemnatum dimitteret. Causam quidem obtinuit ; res vero decurrente illo saeculo XVII° ita processerunt ut qui illius opera collegerit et iterum edenda, anno 1730, curaverit, scribere non dubitaverit : « *Nemo tum philosophus, tum theologus pro concursu illo remoto in Academia parisiensi stare auderet.* »

Alios tamen, si non asseclas, at saltem defensores et patronos eodem saeculo XVII° nactus est Durandus.

(1) *Syllabus rationum* (1636), inter *Launoii Opera*, t. v, part. 1, p. 153.

Ex his fuit Lallemandet, Bisuntinus et Minimorum praefectus Generalis, qui omnibus utrinque argumentis maturius expensis, ita pronuntiat : « *Ex omnibus praedictis potius colligitur negatio concursus immediati quam ejus adstructio* » ; concluditque sententiam hujusmodi concursum negantium « *nunquam cessisse ab aula Scholasticorum, riteque posse, saltem exercitationis gratia, sustineri atque defendi, neque hoc esse, quidquid in contrarium clamitent, haereticum, neque erroneum* (1) ».

Ita etiam censuit doctissimus Maignan, ejusdem Minimorum Ordinis socius (2).

Alius auctor, Minorum Ordini adscriptus, testatur neque a Scoto neque ab ejus discipulis Durandi sententiam erroris unquam fuisse damnatam, « *quamvis et ipsi Scotistae cum Magistro stent pro concursu immediato. Non igitur est illa opinio*, inquit, *haeretica, quamvis hodie non videatur doceri posse sine aliqua temeritate propter torrentem omnium Doctorum* (3). »

Theologi enim fere omnes (neque hac de re a catholicis dissentiebant protestantes, dummodo gratiae

(1) *Cursus philosophicus*, ed. noviss., Lugduni, 1656, in-fol., p. 392-408. Primum hoc opus circa annum 1643 vel 1644 prodierat.

(2) *Cursus philosophicus*, Tolos., 1653, in-8, t. IV, p. 1802. Hic quidem arbitratur posse Durandum cum Molinistis conciliari, dummodo fateantur isti concursum nihil aliud esse quam conservationem, vel *continuatam creationem*. « Causa secunda, inquit, ut se moveat, non eget alio ad agendum concursu ex parte Dei, quam sola sibi suaeque exigentiae in toto per quod se movet spatio accommodata sui creatione et conservatione. » (p. 1790). « Causa secunda ut aliquid moveat a se distinctum, non alio eget ad movendum concursu ex parte Dei quam sola sibi suaeque naturali exigentiae accommodata in pluribus successive et continue locis creatione, tum sui ut impenetrabilis, tum simul ipsius mobilis (p. 1795). »

(3) DUPASQUIER, *Summa philosophiae scotisticae*, Lugduni, 1692, in-8, t. III, p. 288.

auxilium ad salutem aeternam requiri crederent) saeculo XVII° de gratia disputantes, concursus etiam in ordine naturali, sive praevii, sive simultanei, necessitati innitebantur.

Mirum sane, nec praetermittendum videtur Corn. Jansenium, Yprensem episcopum, iis qui tunc temporis naturae plurimum tribuerint esse annumerandum. Quamvis enim naturae lapsae, ut aiunt, plus aequo detrahat, integrae tamen fuisse concessum docet ut citra praemotionem physicam agere potuerit, quae nonnisi post lapsum necessaria fuerit. Quam praemotionem contra D. Thomas ad quoslibet, sive bonos, sive malos, sive voluntatis, sive naturae ratione carentis actus requiri contendit. Jansenius autem, quamvis a Molina de bonis humanae voluntatis actibus post lapsum elicitis recedat, hoc tamen cum eo plane consentit, quod sive ad actiones integrae naturae sive ad pravos lapsae voluntatis actus, sive ad corporeae naturae operationes, satis esse aut fuisse docet concursum generalem et simultaneum (1).

Hic etiam commemorandus est Claud. Pajonus, calvinianae ecclesiae doctor, qui propter plura suorum expertus est censuras. « *Inter reliqua ejus dogmata et hocce celebratur : Deum, fontem atque originem hujus mundi, talem machinam produxisse, quae nobilitate et elegantia sua conditoris summi gloriam manifestaret ; unde generalem illi et praestantissimum motum impresserit, ad finem usque orbis duraturum, cujus virtute instrumenta quaevis, tam rationalia, quam irrationalia moveantur ; res creatas omnes actiones suas edere ope*

(1) Cf. JANSENII *Augustin.*, t. I, p. 123 ; t. III, p. 348-350.

illius efficacissimae virtutis primo illis inditae ac propagatae, sine ullo immediato ac proximo conditoris concursu, quem alii influxum vocent ; concursu tamen remoto, per productionem primaevae virtutis, neutiquam excluso (1). »

Medicos et physicae peritos testatur Malebranchius eadem ac Durandum fuisse arbitratos (2) ; verum inter illius aevi philosophos unum novi Bernerium qui concursum dumtaxat remotum aperte asseruerit (3). Quid de hac quaestione opinatus fuerit Gassendus reperire non potui ; eum tamen qui res a Deo immediate conservari negabat, consentaneum erat inficiari eas immediato illius adjutorio ad operandum indigere.

Ceteri vero philosophi ab istorum opinione recesserunt. Bossuetius praemotionem mira pro suo more perspicuitate explicans, Thomistarum partes agit (4). Cartesius ipse quem Doctorum traditionem non magno aestimasse notum est, se cum Gibieufio consentire scribit, resque a Deo ad agendum praemo-

(1) J. Fr. BUDDEI *Institutiones theologiae dogmaticae*, Lipsiae, 1724, in-4, p. 437. — Obiit Pajonus anno 1685. Adversus Pajonum et Malebranchium conscriptus est a Juriaeo liber cui titulus, *Traité de la nature et de la grâce*, Rotterdam, 1688, in-12.

(2) *Recherche de la Vérité*, t. III, p. 382.

(3) *Du libre et du volontaire*, Amsterd., 1685, in-12. — A Leibnitio accipimus Nicol. quoque Taurellum, medicum nec non philosophum, concursum immediatum repudiasse, at quo in opere quaestionem nostram attigerit, frustra quaesivi. Exstant illius auctoris *de Rerum aeternitate*, Marpurg., 1604 ; *de Coelo et mundo*, Amberg., 1611 ; *Philosophiae triumphus, hoc est metaphysica philosophandi methodus*, Arnhemii, 1617. Hoc in opere, p. 249-259, contra immediatam a Deo rerum conservationem disputat.

(4) *Traité du libre arbitre*, ch. 8 seq.

veri (1). Nonnunquam vero omnem eis efficaciam tantum non adimit; quod absque ulla ambiguitate fecit Malebranchius, causarum occasionalium defensor praecipuus, qui contendit Deum ea omnia operari quae a rebus creatis peragi videantur (2).

Malebranchio praeiverat Lud. Forgius, medicus Salmuriensis, item inter Cartesianos annumerandus. Is enim, etsi more ab omnibus recepto plerumque loquitur, nullam tamen efficiendi vim rebus inesse patitur, mentemque ipsam, ut Malebranchius, cogitationes eliciendi potentia carere asserit (3).

Cum Malebranchio reapse consentit P. Sylvan. Regisius, nisi quod *causae occasionalis* nomine uti non vult, resque creatas dicit esse *causas sine qua non* (4).

Male a quibusdam fuisse Cartesio assignatam istam causarum occasionalium doctrinam evincere nititur Jac. Gussetius, non vulgaris inter calvinianos theologus, quod ex illius decretis nihil praeter physicam praemotionem sequi videatur (5).

(1) « Je suis tout-à-fait de son opinion. » « Je n'ai rien écrit qui ne s'accorde avec ce qu'il a mis dans son livre. » (Cartesii opera, ed. Cousin, t. VI, p. 183 ; t. VIII, p. 506 et 568.) — Gibieufius Cartesio patrocinabatur, cujus *Meditationes de prima philosophia* mox praelo committendas recognovit.

(2) *Recherche de la Vérité*, 1674, t. II, p. 336 seq.

(3) *Traité de l'esprit de l'homme, de ses facultés et de son union avec le corps suivant les principes de René Descartes*, par L. de la Forge, Paris, 1666, in-4.

(4) *Cours entier de philosophie*, 1690, 4 vol. in-4.

(5) J. Gussetius anno 1704 obiit. Ejus opus in lucem anno 1716 prodiit cum hoc titulo : *Causarum primae et secundae realis operatio confirmatur et ab objectionibus defenditur ; de his apologia fit pro Renato Descartes, adversus discipulos ejus pseudonymos.* Leowardii,

Janseniana doctrina, cum pluribus placeret, plurimum thomisticae praemotioni favorem peperit, quam eleganti sermone exposuit, hisque potissimum argumentis defendit Boursier, doctor sorbonicus.

Quaecumque, inquit, rebus corporeis fiunt, ad motus quasdam species reducuntur ; motus autem nullam praeter Deum esse causam a Cartesio comprobatum fuit. Praeterea, cum rerum a Deo conservatio nihil aliud sit quam continuata vel potius iterata creatio, nullus temporis articulus excogitari potest, quo mens nostra a Deo non efficiatur, nec tantum quatenus aliqua substantia est, sed etiam prout ipsi multiplices insunt affectiones, appetitus scilicet aut intellectus operationes, quae ab ipsa, divino quidem influxu mota, eliciantur.

Affectiones demum quae ipsis mentibus ex variis operationibus suis accidunt, esse quosdam *entis gradus* vel *entitatulas* aut *modalitates* quasdam contendit, quibus supervenientibus, augeatur et crescat earum substantia. Quidquid autem, ait, sub entis notione comprehendatur, Deum auctorem habere necesse est ; nulla igitur fieri potest actio quam Deus ipse non effecerit. Quae omnia cum Cartesii doctrina plane consonant ; timeo vero ne hujusmodi rationibus causae occasionales, potiusquam praemotio physica, colligantur.

Hujus auctoris opus (1) Parisios, ad finem vergente

in-4. Contra *causas occasionales* inter ceteros scripserunt Juriaeus, *op. citato*, et de Villemandy, *Traité de l'efficace des causes secondes*, Leyde, 1686, in-12.

(1) Fuerat in Hollandia, celato auctoris nomine, curante vero N. Petitpied, impressum, hoc inscripto titulo : *De l'Action de Dieu sur les créatures, traité dans lequel on prouve la prémotion physique par le raisonnement.* Paris, 1714, 2 vol. in-4, vel 6 vol. in-12.

anno 1713, eodemque quo Constitutio *Unigenitus* die, ut ferunt, allatum, et magno multorum plausu acceptum proscribi et confutari curaverunt et ipsi impugnaverunt Patres Societatis Jesu (1). Alius auctor, incertus quidem, sed Augustinianorum partibus addictus, eumdem tractatum majori cum reverentia et aequitate refellendum suscepit (2).

Huic operi se opposuit etiam Malebranchius jam senior et paulo post supremum diem obiturus (3), quantumque in discrimen libertas arbitrii praemotione physica adducatur, summa perspicuitate demonstravit ; nec tamen vidit suam ipsius opinionem libertati magis officere, qui non modo mentes, nonnisi determinante Deo operari, sed nullo prorsus pacto operari contendat.

Baelius hac via longius etiam progressus, ex admissa continuatae creationis doctrina colligit res creatas neutiquam cum Deo ad operandum concurrere posse, imo nec occasionales quidem esse causas ; Deumque unam omnium quae fiant causam effectricem existere, malique etiam ita esse auctorem ut non solum substantiam cui peccati deformitas inhaereat, sed et ipsam hanc deformitatem per se producat (4).

(1) Vide Margon, *Lettre sur le livre de l'Action de Dieu* (1714), et le *Jansénisme démasqué* (1715) ; *Journal de Trévoux*, (1715), Dutertre s. j., *le Philosophe extravagant dans le traité de l'Action de Dieu*, Bruxelles, 1716. — Cf. *Histoire et analyse du livre de l'Action de Dieu*, s. l., 1753, 3 vol. in-12.

(2) *Réfutation par le raisonnement d'un livre intitulé de l'Action de Dieu sur les créatures*, Paris, 1714, in-12.

(3) *Réflexions sur la prémotion physique*, 1715.

(4) *Réponses aux questions d'un provincial*, Rotterdam, 1706, t. III, p. 765, 771 seq., 812, seq., 1140 seq.

Quae Baelii opiniones Leibnitium potissimum induxerunt ut sua *Theodicaeae tentamina* (1710) conscriberet, quibus summa solertia miroque ingenii acumine confutantur. Hic etsi a Scholasticorum Cartesiique placitis de primaeva substantiarum inertia plane dissentit, substantiasque omnes asserit esse per se actuosas nec stimulo excitari alieno, concursum tamen Dei, eumque immediatum et specialem tuetur (1).

Wolfius tamen, licet cum Leibnitio plurimum consentiat, hujus modi concursum respuit, docetque nihil a Deo praeter conservationem rebus creatis ad operandum suppeditari (2).

Verum ad nostra usque tempora deveniendum est, ut virtutem substantiis insitam a Biranio plena in luce collocari videamus; unde procul dubio colligendum est, eas sponte in operationes proprias quasi prorumpere, concursumque immediatum inutilem esse. Tanti viri praestat ipsa verba exscribere: « *Sans doute,* inquit, *ma volonté, ma force une, actuellement*

(1) « In agendo, inquit, res dependent a Deo, dum Deus ad rerum actiones concurrit, quatenus inest actionibus aliquid perfectionis, quae utique a Deo manare debet. Concursus autem Dei (etiam ordinarius seu non miraculosus) simul et immediatus est et specialis. Et quidem *immediatus*, quoniam effectus non ideo tantum a Deo dependet, quia causa ejus a Deo orta est, sed etiam quia Deus non minus, neque remotius, in ipso effectu producendo concurrit, quam in producenda ipsius causa. *Specialis* vero est concursus, quia non tantum ad existentiam rei actusque dirigitur, sed et ad existendi modum et qualitates quatenus aliquid perfectionis illis inest, quod semper a Deo profluit, patre luminum, omnisque boni datore. » (*Causa Dei adserta per justitiam ejus*, n. 10-12.)

(2) Christian. Wolfius, *Cosmologia*.

en exercice, suppose une force suprême qui l'a faite ce qu'elle est substantiellement. Mais après l'avoir créée ainsi force individuelle et une, destinée à se mouvoir librement dans sa sphère, Dieu même ne pourrait plus entrer en concours d'action avec elle, ou agir réellement à sa place, quand elle veut ou croit agir par elle-même, sans détruire la force qu'il a créée, ou sans vouloir en même temps qu'elle soit et qu'elle ne soit pas (1). »

Qui autem nostra aetate, Scholasticorum placitis explanandis et defendendis summo virium conatu student, concursum sive praevium sive simultaneum amplectuntur omnes; cum Durando autem iniquius agunt, cujus ne nomen quidem memorant (2), vel sententiam perpendere et confutare dedignantur (3).

(1) *Œuvres inédites*, ed. Naville, t. I, p. 512. Nec tamen supernaturalem Dei actionem, gratiaeve auxilia excludere existimandus est auctor clarissimus. « Ceux qui pensent que Dieu a pu donner et a donné réellement aux créatures humaines certaines vertus ou facultés, afin qu'elles exécutent ensuite ses desseins sans qu'il s'en mêle, ne blessent point réellement sa souveraineté, car Dieu peut encore inspirer à ses créatures les sentiments qui servent de motifs ou même de principes de détermination à leurs actes libres. » (*Œuvres*, ed. Cousin, 1841, in-8, t. III, p. 337.)

(2) V. g., ALBERT. STŒCKL, *Lehrbuch der Philosophie*, Mainz, 1881, t. II, p. 379 seq.; Em. Card. ZIGLIARA, *Summa philosophica*, t. II, Lugduni, 1880, p. 471-488; DOMET DE VORGES, *Cause efficiente et cause finale*, 1889, in-8; EL. BLANC, *Traité de philosophie scolastique*, Lyon, 1889, 3 vol. in-8.

(3) Em. Card. GONZALEZ, *Philosophia*, Matriti, 1881, t. II, p. 398.

CONCLUSIO

Sed haec hactenus. Jam tempus est ut recollectis iis quae hucusque disseruimus, disputandi finem faciamus.

Laudandi quidem sunt Scholastici philosophi, quod res creatas aliquid efficiendi facultate praeditas esse perspexerunt; minus vero feliciter de earum actionibus disceptaverunt. Haec enim tanquam certa et inconcussa sibi plerumque assumebant, quibus tota eorum hac de re doctrina superstrueretur, quae si severiori ratione expensa fuerint, vix habebunt quo subsistere valeant: substantias scilicet ab agentibus creatis produci, actionesque esse aliquid a suis causis externi, naturasque omnes per se prorsus inertes existere.

Quibus semel probatis, rerum actiones nullo jam pacto explicari poterant, nisi earum in consortium Deus evocaretur, cujus virtute in agendo causae secundae adjuvarentur. Deum igitur statuerunt ad omnes rerum operationes immediate concurrere.

Huic vero doctrinae minime assentiendum censeo, ut quae non sat probabilibus confirmetur argumentis; excluso enim immediato concursu, suprema in res omnes potestas futurorumque scientia nihilo minus Deo asseruntur et vindicantur.

Praeterea eorum qui Deum immediate ad rerum operationes concurrere contendunt, variae et inter se discrepantes sunt sententiae, dum alii concursum quidem praevium, alii vero simultaneum ita pro sua parte defendunt, ut alteram opinionem gravissimis urgeri difficultatibus comprobent, quae dilui posse non videantur. Unde colligitur neutram esse retinendam, concursumque immediatum, sive praevium, sive simultaneum, inter vana et commentitia esse ablegandum.

Quare magis placet eorum sententia qui concursum duntaxat medium defendunt, Deumque ad rerum operationes nihil conferre volunt, nisi quod causas agendi facultate variisque virtutibus instructas ipse procreaverit et conservet.

Haec fuit opinio Durandi. Is quidem recte animadvertit concursum immediatum supervacaneum esse, neque ullo modo exerceri posse. Pluribus vero sententiam argumentis tutari poterat, si peripateticorum principiis minus addictus fuisset, quod vitio tamen temporis magis quam ipsius culpa accidisse confitendum est.

Concursus enim mediatus iis mire confirmatur quae de actionibus et substantiis a recentioribus, Leibnitio Biranioque auctoribus, docentur: actiones scilicet intra suas causas fieri, substantiamque esse nullam, imo nec posse existere, quae virtute per se agendi non polleat. Inde nemini dubium esse debet, naturas creatas, statim ut effectae sint, per se operari, neque alieno stimulo quo quidem agitentur indigere.

Praeterea Durandi sententia magis congruere videtur iis quae antiquis Ecclesiae doctoribus placuerunt, qui-

bus inauditum fuit Deum naturalibus, quas vocant, creatorum agentium operationibus intercedere.

Concursum quidem immediatum saeculo XII° primum invectum plerique postea asseruerunt Scholastici ; alii vero, numero quidem pauciores, sed fama auctoritateque excellentes, Durandi opinionem amplexi sunt, aut saltem ab omni censura immunem praestiterunt. Multum igitur abest ut concursus immediatus perpetuo constantique doctorum consensu innitatur.

Ex his omnibus efficitur, non sine injuria Durandum a multis male audire, ejusque de concursu divino sententiam, a plerisque hac nostra aetate explosam et incognita causa damnatam, omnino dignam esse quae pristinum in splendorem restituatur et in Scholis iterum solemnis evadat. Id si evicero, mihi tempus et opera non perierit.

AUCTORUM CONSPECTUS

QUORUM IN HOC OPERE NOMINA OCCURRUNT

ALBERTUS MAGNUS, nomine *Bollstaedt* (1193-1280), Ordinis Praedicatorum, Ratisbonensis episcopus, *In Sententias,* inter *Alberti M. Opera,* ed. Jammi, Lugduni, 1651, 21 vol. in-fol.

ANNATUS Franciscus, *Canard,* vulgo dictus *Annat* (1590-1670), Gallus, e Societate Jesu, *Eusebii Philadelphi Romani exercitatio scholastica contra novam rationem tuendi physicas praemotiones liberorum agentium adversus D. Gibieuf,* Cadurci, 1632, in-8; *Scientia media contra novos ejus impugnatores defensa,* Tolosae, 1645, in-4; *de incoacta Libertate disputatio,* Romae, 1652.

S. ANSELMUS (1033?-1109), Cantuariensis archiepiscopus. Inter ejus opera vide *Monologium, Proslogium, de Casu diaboli, de Concordia praescientiae cum libero arbitrio.*

ARRIAGA Rodericus (1592-1667), Hispanus, e Societate Jesu, *Cursus philosophicus,* Antverp., 1632, in-fol.

S. AURELIUS AUGUSTINUS (354-430), Hipponensis episcopus, *de Spiritu et littera, de Gratia Christi, de Gratia et libero arbitrio, de Genesi ad litteram, de Trinitate* et *de Civitate Dei.*

AUREOLUS Verberiensis Petrus (?-1333?), ex Ordine Minorum, Aquensis archiepiscopus, *Commentarii in IV libros Sententiarum,* Romae, 1595, in-fol.

BÆLIUS Petrus, *Bayle* (1647-1706), *Réponses aux questions d'un provincial*, Rotterdam, 1706, 3 vol. in-12.

BANNEZIUS Dominicus, *Bañez*, (1533?-1604), Hispanus, Ordinis Praedicatorum ; Durandi cathedram in Salmanticensi Academia aliquandiu moderatus est ; *Scholastica commentaria in primam partem Angelici doctoris*, Salmanticae, 1584-1588, 2 vol. in-fol. Ejusdem, juvantibus P.P. de Herrera et Didac. Alvarez, prodiit *Apologia FF. PP. in provincia Hispaniae sacrae theologiae professorum adversus novas quasdam assertiones cujusdam doctoris Lud. Molinae nuncupati*, Matriti, 1595.

BEREUR, vide LUDOVIC. A DOLA.

BERNERIUS Franciscus, *Bernier* (1625-1688), Gallus, du *Libre et du volontaire*, Amsterdam, 1685, in-12.

BIEL Gabriel (?-1495?), Germanus, *super* IV *libros Sententiarum*, Lugduni, 1527, in-4.

BIRANIUS, *Maine de Biran* (1766-1824), *Œuvres philosophiques*, ed. Cousin, Paris., 1841, 4 vol. in-8 ; *Œuvres inédites*, ed. Naville, Paris, 1859, 3 vol. in-8.

S. BONAVENTURA (1221-1274), Minorum minister Generalis et S. R. E. cardinalis, *Commentarii in Sententias*, inter ejusdem *Opera omnia*, Romae, 1588-96, 7 vol. in-fol.

BONETUS Nicolaus (?-1360?), Siculus, Ordinis Minorum, *Theologia naturalis ; Commentarii super libros Sententiarum*, inter ejusdem *Opera*, Venet., 1503, in-4.

BOSSUETIUS Jacobus Benignus, *Bossuet* (1627-1704), Meldensis episcopus, *Traités du libre arbitre et de la concupiscence*, Paris, 1731, in-12.

BOURSIER Laurentius Franciscus (1679-1749), Gallus, doctor Sorbonicus, *de l'Action de Dieu sur les créatures*, Paris, 1714, 2 vol. in-4.

BRADWARDINUS Thomas, Anglus, doctor Oxoniensis, circa annum 1328 conscripsit librum *de Causa Dei adversus Pelagium,* qui Londini anno 1618 typis mandatus est.

BUDDEUS J.-Fr. (1667-1719), Germanus, Augustanae confessionis theologus, *Institutiones theologiae dogmaticae,* Lipsiae, 1724, in-4.

CAJETANUS, Thomas de Vio (1479-1534), Italus, Ordinis Praedicatorum et S. R. E. cardinalis, *Commentarii in Summam theologicam S. Thomae de Aquino,* Lugduni, 1540-41, 4 vol. in-fol.

CAMPANELLA Thomas (1568-1639), Italus, Ordinis Praedicatorum, *de Praedestinatione,* ad calcem tractatus *de Gentilismo non retinendo,* Paris, 1635, in-8; *Atheismus triumphatus,* Paris, 1636, in-8; *Universalis philosophiae seu metaphysicarum rerum juxta propria dogmata,* Paris., 1638, in-fol.

CAPREOLUS Joannes (?-1444), Italus, cognomine *Princeps Thomistarum,* Ordinis Praedicatorum, *in* IV *libros Sententiarum,* Venet., 1483, in-fol., 1589, 4 vol. in-fol.

COLUMBUS Bonaventura, Gallus, ex Ordine Minorum, saeculo XVII° claruit, *Novus cursus philosophicus Scotistarum complectens universam philosophiam,* Lugduni, 1669, in-fol.

COMPLUTENSES, fratres Ordinis Carmelitarum excalceatorum, Hispani, *Disputationes collegii Complutensis,* Venet., 1677, 4 vol. in-fol.

DOMET DE VORGES, Gallus, *Cause efficiente et cause finale,* Paris, 1889, in-8.

DUPASQUIER Sebastianus, Gallus, Ordinis Minorum, saeculo XVII° claruit, *Summa philosophiae scholasticae scotisticae,* Lugduni, 1692, 4 vol. in-12.

DURANDELLUS, nomine Durandus de Aureliaco, Gallus, Ordinis Praedicatorum, circa annum 1334 claruit., *super quatuor*

libros Sententiarum contra corruptorium fr. Thomae. Quod opus manu scriptum asservatur Parisiis (Bibliothèque Nationale, lat., 14550).

Durandus a sancto Porciano (?-1334), Gallus, Ordinis Praedicatorum, doctor Parisiensis, Sacri palatii Magister, Aniciensis et Meldensis episcopus, *In quatuor libros Sententiarum,* ed. Merlin navarraeus, Paris, 1515; ed. Martimbosius, Paris, 1550, in-fol.

Ferrariensis, vide Sylvester Ferrariênsis.

Forgius Ludovicus, *de la Forge*, Gallus, saeculo xvii° medicus Salmuriensis, *Traité de l'esprit de l'homme, de ses facultés, de ses fonctions et de son union avec le corps selon les principes de René Descartes,* Paris, 1666, in-4.

Gabriel, vide Biel.

Gerson Joannes, nomine *Charlier* (1363-1429), Gallus, Parisiensis Universitatis cancellarius, *Epistola ad studentes collegii Navarrae,* inter ejusdem *Opera,* ed. L. E. Dupin, Antverp., 1706; 5 vol. in-fol.

Gibieuf Guillelmus (1591?-1650), Gallus, ex Oratorii sodalitio, *de Libertate Dei et creaturae,* Paris. 1630, in-4.

Gonzalez Zephyrinus, Hispanus, Ordinis Praedicatorum, archiepiscopus Toletanus, *Philosophia elementaria,* Matriti, 1881, 3 vol. in-8.

Gregorius Ariminensis (?-1358), Italus, Augustinensium minister Generalis, *In primum et secundum Sententiarum,* Parisiis, sine anno (xv° saeculo), in-fol.

Guillelmus Altissiodorensis (?-1230), Gallus, *Aurea in* iv *Sententiarum libros explanatio,* Paris., circa ann. 1500, in-fol.

Guillelmus Alvernus (?-1249), Gallus, Parisiensis episcopus, *de Virtutibus, de Universo, de Trinitate* inter ejusdem *Opera,* Paris., 1674, 2 vol. in-fol.

GUILLELMUS VARRO, vide VARRO.

GUSSETIUS Jacobus, *Goussel* (1635-1704), Gallus, protestantium minister, *Causarum primae et secundae realis operatio confirmatur et ab objectionibus defenditur; de his apologia fit pro Renato Descartes adversus discipulos ejus pseudonymos,* Leowardii, 1716, in-4.

HENRICUS GANDAVENSIS (1217-1293), Belga, *Quodlibeta,* Paris, 1518; Venet., 1615.

HURTADUS Petrus, *Hurtado de Mendoza* (?-1651), Hispanus, e Societate Jesu, *Universa philosophia,* Lugduni, 1617, in-4; Lugduni, 1624, in-fol.

JANSENIUS Cornelius (1585-1638), Belga, Yprensis episcopus, *Augustinus,* Lovanii, 1640, 3 vol. in-fol.

JURLEUS Petrus, *Jurieu* (1637-1713), Gallus, protestantium minister, *Traité de la nature et de la grâce,* Rotterdam, 1688, in-12.

LALLEMANDET Joannes, Bisuntinus, e Minimorum Ordine, saeculo XVII° claruit, *Cursus philosophicus,* Lugduni, 1656, in-fol.

LAUNOIUS Joannes, *Launoy* (1603-1678), Gallus, doctor parisiensis, *Syllabus rationum quibus causa Durandi de modo conjunctionis concursuum Dei et creaturae defenditur et inofficiosa quorumdam recentiorum censura repellitur,* Paris, 1636. Quod opusculum invenitur inter ejusdem auctoris *Opera,* Genevae, 1731, 10 vol. in-fol.

LEIBNITIUS Guillelmus (1646-1716), Germanus, *Essais de théodicée,* 1710 (Opus istud ab Aug.-Frid. Bœckio in latinum sermonem conversum est : *Tentamina theodicaeae,* Tubingae, 1771, 2 vol. in-8); *Causa Dei adserta per justitiam ejus.*

LEPIDI Albertus, Ordinis Praedicatorum, *Elementa philosophiae christianae,* Parisiis et Lovanii, 1875-79, 3 vol. in-8.

LUDOVICUS A DOLA, nomine *Bereur,* saeculo XVII° Minorum Provincialis in Burgundia minister, *Disputatio quadripartita de modo conjunctionis concursuum Dei et creaturae,* Lugduni, 1634, in-4.

MAIGNAN Emmanuel (1601-1676), Gallus, e Minimorum Ordine, *Cursus philosophicus,* Tolosae, 1653, 4 vol. in-8. Hujus operis compendium, curante P. Saguens, prodiit, *Philosophia Maignani scholastica,* Tolosae, 1703.

MALEBRANCHIUS Nicolaus, *Malebranche* (1638-1715), Gallus, ex Oratorii sodalitio, *Recherche de la vérité,* Paris, 1674, 2 vol. in-12; *Réflexions sur la prémotion physique,* Paris, 1715, in-12.

MASSOULIÉ Antoninus (1632-1706), Tolosanus, Praedicatorum Generalis magistri socius, *Divus Thomas sui interpres de divina motione et libertate creata,* Romae, 1692, 2 vol. in-fol.

MASTRIUS DE MELDULA Bartholomaeus, et BELLUTUS Bonaventura, Siculi, Minores, saeculo XVII° floruerunt, *Philosophiae ad mentem Scoti cursus integer,* Venet., 1650, in-fol.

MAYRONIUS, seu DE MAYRONIS, Franciscus (?-1323), Gallus, Ordinis Minorum et doctor parisiensis, *In Sententias,* Venet., 1520, in-fol.

MOLINA Ludovicus (1535-1600), Hispanus, e Societate Jesu, *de liberi arbitrii cum gratiae donis concordia,* Olyssipone, 1588, in-4; ed. novissima, Paris., 1876, in-4.

OCKAMIUS, seu DE OCKAM, Guillelmus (?-1347 aut 1350) Anglus, e Minorum Ordine, *Quodlibeta* VII, Argent., 1491, in-fol.; *super* IV *libros Sententiarum subtilissimae quaestiones,* Lugduni, 1495, in-fol.

PAJONUS Claudius, *Pajon* (1626-1685), Gallus, in civitate Aurelianensi protestantium minister; opinionem suam de concursu viva voce Salmurii tradidit. De ipso adeundus est Pet. Juriaeus, de quo supra.

PETRUS ALLIACENSIS, *Pierre d'Ailly* (1350-1425?), Gallus, Parisiensis Universitatis cancellarius, Cameracensis episcopus et S. R. E. Cardinalis, *in Sententias*.

PETRUS DE AQUILA, cognomine Scotellus (?-1330?), Minor, *Quaestiones in* IV *libros Sententiarum juxta Scoti doctrinam*, Spirae, 1480, in-4 ; Venet., 1584, in-4 ; Parisiis, 1585, in-8.

PETRUS AUREOLUS, vide AUREOLUS.

PETRUS LOMBARDUS, cognomine Magister Sententiarum (?-1160?), Parisiensis episcopus, *Sententiarum libri* IV, Venet., 1477, in-fol. ; etc.

POMPONATIUS Petrus (1462-1524?), Italus, *de Fato*, 1520, inter ejusdem *Opera*, Basileae, 1567, in-12.

PONCIUS Joannes, Hibernus, e Minorum Ordine, saeculo XVII° claruit, *Philosophiae ad mentem Scoti cursus integer*, Romae, 1648, in-fol. ; Lugduni, 1659, in-fol.

PONCIUS LEGIONENSIS (?-1629), Hispanus, ex Ordine Augustinensium, *Academiae Salmanticensis de tenenda ac docenda doctrina S. Augustini et Thomae judicium*, 4ª editio, Paris., 1657, in-8.

PRÆPOSITIVUS Guillelmus, natione Longobardus ; fuit in Parisiensis Universitatis cancellarium an. 1207 assumptus. De eo pluries in *Summa theol.* meminit D. Thomas ; et eum ab Alberico accipimus « fecisse optimos sermones et quasdam postillas Sententiarum. »

RAYNALDUS Theophilus, *Raynaud* (1583-1663), Gallus, e Societate Jesu, *Theologia naturalis*, Lugduni, 1622, in-4 ; *Calvinismus bestiarum religio*, Paris., 1630, in-12.

REGISIUS Petrus Sylvanus, *Leroy* aut *Régis* (1632-1707), Gallus, *Cours entier de philosophie*, Paris, 1690, 4 vol. in-4.

RICHARDUS Radulphus (?-1359?), Hibernus, Armachanus archiepiscopus, *de Erroribus Armenorum*, Paris., 1511, in-fol.

SALMANTICENSES, fratres Ordinis Carmelitarum excalceatorum, Hispani, *Cursus theologicus Collegii Salmanticensis*, Lugduni, 1667, 19 vol. in-fol.

SANSEVERINO Cajetanus, ecclesiae Neapolitanae canonicus, obiit circa annum 1865, *Philosophia christiana cum antiqua et nova comparata*, Neapoli, 1862, 6 vol. in-4.

DUNS SCOTUS Joannes (1266?-1308), Minor, *in Sententias*; *Reportata parisiensia*, inter ejusdem *Opera omnia*, ed. Wadding, Lugduni, 1639, 12 vol. in-fol.

SCOTUS ERIGENA Joannes, saeculo IX° floruit, *de Divisione naturae*, Oxonii, 1681, in-fol.

SONCINAS, Paulus, *Barbo* (?-1494), Italus, Ordinis Praedicatorum, *Epitoma quaestionum a J. Capreolo disputatarum*, Papiae, 1522, in-8; Lugduni, 1528, in-4.

SOTO Dominicus (1494-1560), Hispanus, Ordinis Praedicatorum, *de Natura et gratia*, Venetiis, 1547, in-4.

STOECKL Albertus, Germanus, *Lehrbuch der Philosophie*, Mainz, 1881, 3 vol. in-8.

STURMIUS Joan.-Christophor. (1635-1703), Germanus, in Altdorfiana Academia philosophiam docuit, *Physicae conciliatricis conamina*, Noribergae, 1684, in-12; *Physica eclectica sive hypothetica*, ibid., 1697, in-4.

SUAREZ Franciscus (1548-1617), Hispanus, e Societate Jesu, *Metaphysicarum disputationum*, Salmanticae, 1597, 2 vol. in-fol.; *de Concursu, motione et auxilio Dei libri* III, inter ejusdem *Varia opuscula*, in tom. X *Operum*, Venet., 1740, in-fol.

SYLVESTER Franciscus Ferrariensis (1474?-1528), Italus, Ordinis Praedicatorum magister Generalis, *Commentarii in libros S. Thomae contra Gentes*, Paris., 1522, in-fol.

TAURELLUS Nicolaus (1547-1606), Germanus, philosophus et medicus, *Philosophiae triumphus, hoc est metaphysica philosophandi methodus*, Arnhemii, 1617, in-12.

S. THOMAS de Aquino (1225-1274), Italus, Ordinis Praedicatorum, *Summa theologica ; Contra Gentes* ; *in libros Sententiarum ; de Potentia ; de Veritate.*

THOMASSIN Ludovicus (1619-1695), Gallus, ex Oratorii sodalitio, *Mémoires sur la grâce,* Louvain (Paris), 1668, 3 vol. in-8 ; *Dogmata theologica,* Paris., 1680-89, 3 vol. in-fol.

VANINI Lucilius (1585-1619), Italus, *Amphitheatrum divinae Providentiae divino-magicum adversus veteres philosophos, atheos, epicureos, peripateticos et stoicos,* Lugduni, 1615, in-8.

VARRO Guillelmus, Anglus, e Minorum Ordine, circa annum 1270 floruit ; ejus opera praelo nunquam sunt commissa.

DE VILLEMANDY (?-1703), Gallus, Leodiensis collegii moderator, *de l'Efficace des causes secondes,* Leyde, 1686, in-12.

WOLFIUS Christianus (1679-1754), Germanus, *Cosmologia.*

ZIGLIARA Thomas-Maria (1833-1893) in insula Corsica natus, Ordinis Praedicatorum et S. R. E. Cardinalis, *Summa philosophica,* ed. 3ª, Lugduni, 1880, 3 vol. in-12.

ERRATA

Pag.	*7, not. 1,*	*pro*	subtantiam,	*lege* substantiam.
—	*16, lin. 12 et 14,*		subtantiae,	— substantiae.
—	*18, — 1,*	—	remitttitur,	— remittitur.
—	*21, — 15,*	—	forman,	— formam.
—	*28, — 22,*	—	quam,	— atque.
—	*33, not. 1,*	—	cffectum,	— effectum.
—	*60, lin. 21,*		hin omis,	— hominis.
—	*94, — 6,*		Motus,	— Motum.
—	*96, — 18,*	—	nihil,	— nihil aliud.
—	*98, — 12,*	—	corum,	— carum.
—	*100, — 24,*		perspicuum est,	— perspicua sunt.

INDEX RERUM

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,

a. d. IV non. jun. ann. MDCCCXCIII

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus

A. Himly.

TYPIS MANDETUR

Academiae Parisiensis Rector

Gréard.

CASTRODUNI. — E TYPIS J. PIGELET.

Castroduni. — E typis J. Pigelet